

1. M. 7.

# LUMEN

DE

## LUMINE SPARSUM,

Pfal: XXXVI: v. 10.

SEU

# VERA ET ΓΝΗΣΙΩΣ CHRISTIANA RELIGIO:

*Quam*

QVOAD EJUSDEM ESSENTIAM, PROPRIETATES,  
SUMMAM ATQUE OPPOSITA,

Sub DECADE Disputationum Theologicarum, in Regiâ  
Acad. Aboënsi publicè habitaram, ex LUMINE LUCIDO  
verbo DEI, orthodoxorum Theologorum ac Patrum scri-  
ptis, quibus, Heterodoxorum contrariis opinionibus  
semper observatis, evictum, unicè salvi-  
ficam esse,

LUTHERANAM;  
NOVâ & artificiosâ methodo

*Illustravit*

M. ANDREAS B. Hasselqvist/Calm.

S. S. Theologiæ Professor Extraordinarius,  
& Pastor in Pargas.

2. Cor. 13: 8.

Ὁυ δυνάμεθα π κατὰ τῆς ἀληθείας, ἀλλ' ὑπὲρ τῆς ἀληθείας.

Impr. ABOÆ 1697, apud Jo. LAURENTII WALLIUM.

BIBLIOTHECA  
H. HERS.  
SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
SUMMÆ FIDEI VIRO,  
CELSISSIMO HEROI ET COMITI,  
*ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO,*

DN. NICOLA O

**B**yldestålpe/

Senatori Regio,

&

Serenissimi Principis Hæredi-  
tarii Gubernatori,

nec non

Academiæ Londinensis Cancel-  
lario Eminentissimo;

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

SUMMÆ FIDEI VIRO,

CELSISSIMO HEROI ET COMITI,

*ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO,*

DN. GABRIELI

**G**alkenberg

Regio Senatori,

Dicasteriiqve Aboënsis Præsidi

æquilibrium Justitiæ candore

Splendidissimo atq; In-

clytissimo;

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS  
SUMMÆ FIDEI VIRO,  
CELSISSIMO HEROI ET COMITI,  
*ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO,*

DN. LAURENTIO

**B**allenstedt

Senatori Regio,  
Dicasterii Holmensis Præsidi,  
atque  
Academiæ Aboënsis Cancellario  
Magnificentissimo;

GRATIA A DEO PATRE, PAX ET SALUS A DOMINO JESU  
CHRISTO, IN VIRTUTE SPIRITUS SANCTI!

## EXCELLENTISSIMI HEROES!



nam eandemque esse quoad substantiam Religionem, seu viam verâ fide in Christum ad salutem perveniendi, & in veteri & novo Testamento, hisce claris verbis ostendit Hiero-Plates David, Psal.36:v. 10. In Lumine tuo videmus Lumen. Ex Lumine enim verbi DEI Θεοπνεύμα, in mente DEI ab æterno concepto, in tempore vero sanctis DEI utriusque Testamenti hominibus revelato, oritur vera, salvifica, unicèqve γνησίως Christiana, tanquam de lumine lumen sparsum, RELIGIO, indeqve fluit. Id quod jucunda illa pictura, Harmoniæ Evangelicæ Chemnitii, per Doct. Polycarpum Lyserum continuatæ, præfixa satis superqve demonstrat. Stat ex unâ parte Ara, cum sacrificiis in eâ ardentibus, & Christum præfigurantibus; accedunt Moses, Aaron, & Prophetæ omnes, gestantes candelas in manibus, quas ex Arâ illâ accendunt:

dunt: Ex alterâ parte effunditur Spiritus Sanctus super Apostolos, specie flammulæ in capitibus illorum emicantis: accedunt Lutherus, Melancthon & alii, candelas etiam in manibus gestantes, & ex flammulis illis Apostolicis incendentes. Non procul inde ipse Doctor Lyserus concionatur, & Auditoribus suis porrigit Candelam ardentem, ad quam illi agmine longo concurrunt, & suum inde Lumen mutuuntur. Hoc est: DEUS Pater, Lumen illud æternum, manifestavit initio suam Lucem, per sacrificia & alium veteris Testamenti cultum, unde suum suæ Doctrinæ lumen accenderunt Moses, Aaron, & Prophetæ omnes: In Novo Testamento ex Patris sinu prodiit, lumen illud Patri cœternum, DEUS Filius, qui Spiritum Sanctum effudit, in specie ignis super Apostolos; indeque suum suorum donorum Lumen hauserunt, Lutherus & alii Doctores, ad nostra usque tempora, & sic quoque ad finem mundi, illuminantur omnes fideles ad Lucem æternam in cœlesti Hierosolymâ, ubi Agnus DEI Lux erit, & Gloria Domini illustrabit totam Domum. Ex hâcce Luce quoque Ego infimus Christi Minister, ab Anno 1671, quo Revaliæ venia concionandi, atque 1674, Sacri ordines Ministerij mihi concessi, ab Episcopo Beato Joh. Jacob. Pfeiffio, omnes meas conciones piisque meditationes usque nunc hausi. Et insuper, dū SACRÆ Regiæ Majestati mihi Professionem Theologicam Extraordinariam indulgere placuerat, bis Locos communes Theologicos Beati Hasenrefferi, & deinde ex Beati Episcopi Doct. Johan. Gezelii Senioris Casibus conscientiæ aliquot capita, cum publicis Lectionibus Academicis, tum privatis Disputationibus domesticis, absque ullo aliquo pretio aut compensatione, ( nam Studiosi ferme

mè omnes sunt pauperes, ) absolvi. Et, nè aliquis calumniæ locus daretur Sugillatoribus, Tractatum, Decem Disputationibus comprehensum, de Religione *γνησίως* Christianâ, conscripsi, atque eundem, fermè proprio sumptu, excudendum typis curavi. Vestris verò Excellentissimis, ut studiorum ac Studiosorum promotoribus & Patronis benignissimis, offertur loco Strenæ præsens hocce munusculum, cum appreciatione & voto, ut, juxta ultimum numerum hujus Anni 1697, septenarium, quiescant super vos septem Dona spiritus sancti, descripta Esai. c. 11. nempe 1. Spiritus Domini, 2. Spiritus sapientiæ, 3. Spiritus intelligentiæ, 4. Spiritus consilii & prudentiæ, 5. Spiritus roboris & potentiæ, 6. Spiritus scientiæ, 7. Spiritus Timoris & Reverentiæ; quò pietate in DEUM veramque Religionem, atque justitiâ erga homines, quibus duobus fulcris tota Salus Reipublicæ sustentatur, usque ad extremum vitæ halitum floreatis, vigeatis, coruscetis! sic optat, qui quoad ultimos cineres permanet,

VESTRARUM EXCELLENTIARUM

*devotissimus ac humillimus cultor*

**ANDREAS Hasselqvist**  
Calmariensis.

*Ad Virum*

Plurimum Reverendum, Præclarissimum  
& Doctissimum,

**Dn. M. ANDREAM Hasselqvist/**

In Regiâ Academiâ Aboënsi Professore Theo-  
logiæ Extraordinarium, & in Bargas Pastorem  
Vigilantissimum;

DECADEM

*Disputationum Publicè habitarum, De Religione ymoius Christianâ,  
nunc in usus omnium communes edentem,*

ΣΤΕΧΑΡΜΑ,



Est unus DEUS & Dominus, Mediator  
& unus,  
Nempe DEI ac Hominum, denique  
& una Fides;

Unum Baptisma est, Una est Ecclesia: Verùm  
RELLIGIO Varias fertque subitque vices.

Una est vera Fides venerans Christumq; Deumque;  
Falsa Fides contrâ est Ethnica & Hæretica.

RELLIGIO dispar, Cultusque ab origine Mundi  
Numinis hinc variat, ceu variata Fides.

Quæ



Quæ verò genuina Fides, sinceraque Christi  
· RELIGIO, è Verbo noscitur hocce DEL.  
Navasti ergo operam, Multū Reverende Professor,  
Præclaram circa hoc RELIGIONIS opus.  
Exstruis id solers divino ex Lumine Verbi  
Cælestis, verè Symbolicisque Libris.  
Quapropter magni & sancti conamina cæpti  
Gratulor, & zelum in RELIGIONE pium!  
Maacte animo & studio, divinis viribus aucte,  
Plura ut adhuc ausus des documenta tui!  
Permaneas Nobis Pyliosque superstes in annos,  
Vivens perpetuos hinc super astra dies!

*L. Mæ. scripsit*

*Non. Febr.  
Anno 1697.*

PETRUS LAURBECCHIUS  
S.S. Th.D. Prof. Primar.  
Def. Ep. Wib.

*Ad Auctorem hujus Tractatus*  
De RELIGIONE,  
Admodum Reverendum  
DN. M. ANDREAM Hasselawist/  
S. S. Theol. Professore in Acad. Aboënsi Extra-  
ordinarium, & Pastorem in Pargas vigilantissimum,  
Collegam suum & amicum veterem, hæc pauca gra-  
tulabundus festino calamo, sed mente  
hilari scripsit.



*Quæ sacra suavisonâ fudisti dogmata voce,  
Revaliæ atque Aboæ, vir Reverende, prius,  
Atque DEI populos templi è suggestibus olim,  
Oris facundi laude docere vigil  
Tam sœveras, summoque animas lucratus Olympo,  
Monstrando sanctam ad regna superna viam:  
Pulpita nunc ornas Finncorum sancta Lycæi,  
Atque juventutem verba sacrata doces;  
Es prodesse piis scripto de Relligione  
In lucem emisso dignus honore cupis.  
Lecturi iccirco studium mirentur, opusque  
Laudibus in Cælos voce animoque vehant.  
Atque ego communi tibi solvere nomine grates  
Nunquam cessabo, tu superesto diu!*

JOH. FLACHSENTIUS  
S. S. Theol. D. & Prof. Ord.  
& Eccles. Marianæ Pastor.

IN OPUS THEOLOGICUM,  
De  
RELIGIONE ΓΝΗΣΙΩΣ CHRISTIANA,  
VIRI

Plurimum Reverendi & Præclarissimi,  
DN. M. ANDREÆ

Gasselqvist/

S. S. Theol. Professoris Extraord.

in Regia Universitate Aboënsi, simulque  
Pastoris *Pargasensium*, laudatissimi,  
dignissimi,

Περίεργος



IR dilecte Tuis, TE multos jugiter  
annos

Concio Doctorem devenerata  
suum est,

Dum sacro-sancta DEI *mysteria* pandis\*  
abunde,

*Semina* quæ nostræ *viva* salutis alunt; \*\*

Dum-

\* 1. Cor. IV. 1.

\*\* 1. Petr. 1. 23.

Dumque soles pro gente Tuam protendere  
dextram.:

*plena calefcentum fumat acerra precum. \*\*\**

Nunc TIBI religio est, hanc religione  
tueri

Salvificam, stamus qua, velut ante,  
FIDEM.

Crede mihi, nivea cingentur tempora  
vitta,

Hector Thejologæ, mox TIBI,  
militiæ.

*Quod gratulabundus,  
licet occupatiss.  
dedit*

ANDREAS WANOCHIUS,  
S.S. Theol. Prof. & h. a.  
Fac. suæ Decan.

\*\*\* *Apol. II. 7.*

Sequentes Præstantissimi DN. STUDIOSI, in hæc  
Decade excudendâ, mihi suam com-  
modaverunt operam:

- I. OLAUS ISRAELIS LEIMONTINUS, Cal-  
mariensis, nunc in Cœlis beatus.
- II. ABRAHAM PETRI ARBOGENSIS, Wex-  
mannus.
- III. BENEDICTUS MARTINI Hafelqwist/  
Calmariënsis, Ecclesiastes Admiralitatis.
- IV. HENRICUS Hafelqwist/ Andreae Filius,  
Revaliensis, Medic. Studiosus.
- V. SAMUEL SAMUELIS HORNÆUS, Abo-  
ënsis, Sacellanus in Korpo.
- VI. THOMAS GABRIELIS LAURÆUS, Abo-  
ënsis, Regiminis Pastor.
- VII. PAULUS PETRI Petewall/ Wexionensis.
- VIII. MARTINUS BERNHARDI HIMME-  
NIUS, Aboënsis.
- IX. ANDREAS Hafelqwist/ Andreae Filius,  
Aboënsis.
- X. PETRUS INGEMARI LACANDER,  
Wexionensis.

## Den Günstige Läsaren Håls!

**N**åg skämnes icke wid Christi Ewangelium: Ty det är GUDs krafft/ allom them til Salighet som troo/ säger iag ringa Christi Tienare med Paulo/ Rom: 1: 16. som igenom GUDs nådiga bijsänd/ krafft och styrckio af högdene/ hafwer effter den rena Ewangeliska Låran/ ifrå åhr 1671/ in til detta åhr 1697/ haft 2284 Swenska/ och 28/ nembl. i Rewal 24/ i Ubo 2/ i Pargas 2 Finska Predikningar. Den Helige Bibel hafwer iag på ÅBO Predikstol/ sedan iag af den Förnåhme och Christeliga Försambling/ för desz Capellan kallad blef/ således igenomgådt: den 11. Maji 1679, begynte iag af Nehemiæ 3 Capitel och lychtade den 8 December 1683, den 10 ejusdem Anni & Mensis, begynte iag den Helige Bibel å Nyö / af Genel. Cap. 1.º och fullföljde der med in til 1690/ den 7 Junii, då iag åter lychtade honom/ begynte derföre strax igen och stannade uti Josuæ bokz 11 Capitel, 1691, den 23 Maji, då iag blef Pastor i Pargas. Alle desse Bibliiske Capitlen gick iag i 12 åhrs tijd / således allena igenom; at iag sällan brukade någon i mitt ställe/ mycket mindre lembnade något Capitel uthan förklaring/ i hwilken först: Summan eller Inhållet på Capitlet, sedan desz deelar/ utlades/ och til det tridie/ togs där af en nyttig och Gudelig Lårdom/ så lämpad / at den ene hophandz med den andra dageligen uthi en richtig ordning och kådiemåjs/ (dår den ene läncken hänger i den andra/) för Åhörarnas bättre minne och upbyggelse skul. 1. Cor: 14.

Följande Skriffter hafwer iag befordrat til Trycket/ först Swenska

In Quarto:

I. Bättringz Basunn/ utblåst uthi trettiio Christelige Fredagz Predikningar/ uthi Rewalz Domkyrckia/ öfwer

öfwer Propheten Jonam / och deras Kongl. Majesteter/  
Konung CARL XI. sampt hennes Höghsaliga Majest.  
ULRICÆ ELEONORÆ dedicerad, tryckt i Stockh. 1680.

II. Frögderoop öfwer Herrans Sebathz Godhet/  
Jerem: 33: 11. eller en Christelig Brudpredikan / tå Hög-  
wärdige Doctor, Johannes Gezelius, J. F. tå Theologiæ  
Prof. men nu Biskop öfwer Åbo Stift / sammanwigdes  
med den Edla Jungfru / Hedewig Lieken / tryckt i Åbo / 1680.

III. Boot-Predikan öfwer Prophetens Jeremiæ Co-  
met, tå han såg en wakande Staaf och heetsjudande Gryto/  
Jer: 1: 11. 12. 13. 14. 15. 16. lämpad til den faasliga Comet, som  
synes 1680 / och lång tijd der efter / tryckt i Åbo / 1681.

IV. GUDS Hierteliga Siälwård / Esai: 38: 17.  
eller utbfärdz Predikan / hällen i Bierno Präste- Gård / tå  
Probsten och Kyrckioherden / Sal. M. Gabriel Thauvonijs,  
fördes til sitt Hwilorum / tryckt i Åbo / 1684.

V. STRENA, eller Nyårs-Gåfwa / utdelt efter Zodia-  
cū, i anledning af Huus-Taflan och Litanian, i den Christe-  
liga Swenska Församling i Åbo / 1688 / och tryckt samma år.

VI. JOHANNES BAPTISTA REDIVIVUS, eller en Christelig  
Lijf-Predikan / hällen uti Pargas Sockne-Kyrckia / på  
Johannis Baptistæ dagh / 1690 / Uppå hwilken / fordom Bi-  
skopen öfwer Åbo Stift / Sal. Doct. Johannes Geze-  
lius Senior, begrofs i Åbo Domkyrckia / som hade defutan  
warit Pastor i Pargas / i 26 år / blef så efter Högtids-  
dagens 5. Ewangelium / som sielswa Lijf-Terten / 1. Thes: 2:  
v. 9. 10. 11. 12. med den helige Johanne Döparen / efter sär-  
deles den Helige Andes mått / jämpnförd / tryckt samma år.

In Octavo:

Andelig Hiertewäckare / med hwilken en Christen dag och  
stundeligen så wid itt och annat förehäfwande / som wid hware klä-  
keslag med lijka tabl af den heliga Skrifte / och sedan effter Jesu Christi  
Pinnos Historia / upwäcker sitt hierta til en san Gudachtighet / uti hier-  
seliga suckningar. Sampt itt Andeligit Klöfwerblad / tryckt i Åbo / 1680.

In Duodecimo:

**Hiertewäckaren** med bñer/ 1682/ med Passions Litanien, 1684/  
förbättrad/ och tryckt i Åbo. Tryckt i Stockholm/ 1686. Verterad på  
Finska/ af Wälachrad Her Nådmanen / Michael Corelio, och tryckt  
i Åbo/ 1686.

Sedan Latinska

I. Disputatio Pneumatica pro gradu Magisterii, de  
*Anima Separata*. Excusa ABOÆ, 1676.

II. *Majus Redivivus*, Comparationem inter Mensum  
Majum & vernantem Christi Ecclesiam, ejusque Fideles  
Ministros, instituens, in honorē Duorum Episcoporum, Dn.  
Doct. Olaij Svebilii, Lincopensis, & Dn. M. Danielis Wal-  
lerii, Gothoburgensis, conscriptus & ABOÆ excusus, 1679.

III. *Rosa orbis Arctici*, de propagatione & conserva-  
tione Religionis in *Svecia & Finlandiâ*, deque *Episcopis &*  
*Archi-Episcopis* Ubsaliensibus, usque ad modernum, Dn. Doct.  
Olaum Svebilium (qvem DEUS diu conserve!) in cujus ho-  
norem quoque est conscripta, typisque excusa ABOÆ, 1682.

IV. Præsens Tractatus de *Religione rynos Christianâ*,  
ABOÆ excusus & absolutus, 1697.

*Hortus Passionalis*, eller Passions Tråå- och Örte-Gård/  
om wårs HERRES och Frålsares JESU Christi Pi, nos  
Historia/ är beghnt at utarbetas/ men skall med tiden  
den Christelige Läsaren/ igenom den förhåsta JESU til-  
hielp meddelas.

GUD som all nåd kommer af/ then oss kallat hafwer  
til sin ewiga hårlighet i Christo JESU/ fulborde oss som  
en liten tid lidom/ styrckie / stödie och stadfäste/ honom ware  
åhra och macht ewinnerliga/ Amen!

Så önskar

Then Christelige Läsarens  
Trogne Föredtare/  
ANDREAS Hågelqvist.



## INTROITUS.



APOSTOLUS JESU CHRISTI, Sanctus Paulus, hi-  
 ce emphaticis verbis, vocationem nostram  
 ad gremium Ecclesiæ, commendat 2. Tim.  
 1.9. *Vocavit nos vocatione Sancta*; iisdem tria  
 insinuando, nempe 1. vocantis beneficium,  
 2. Vocatorum Privilegium, 3. Vocationis Medium. 1. Præ-  
 stiterit suæ Ecclesiæ Paternum vocationis beneficium ipse  
 Deus Trinus, nam vocatio & Collectio Ecclesiæ est o-  
 pus Dei ad extra, toti Trinitati, propter unam & indivi-  
 sam essentiam, seu *ὁμοσίαν* & Essentiæ Identitatem, Com-  
 mune; Interim *Deus Pater vocando Ecclesiam Plantavit, Psal. 80. 16.*  
*Deus Filius, Christus Jesus, Sangvine suo rigavit, Ephes. 5. 26.* *Deus*  
*Spiritus Sanctus Verbi Ministerii sepimento munivit, Esai. 5. 2.*  
 II. Vocatorum Privilegium extollit Paulus voce *καλέω*.  
 Inde derivatur Ecclesia præfigendo particulam *ἐκ*. Hinc  
 duo termini à quo & ad quem. *ἐκ* notat terminum à quo,  
 qui est mundus & regnum Diaboli; *καλέω* notat  
 terminum ad quem, qui est Ecclesia & Regnum Dei,  
 in quo vocati ingentia habent privilegia & immunitates.  
*Sunt enim evocati, per verbi predicationem ex Mundo & Impia*  
*hominum Colludic, ad Regnum Christi ejusq, sincera Religionis so-*  
*cietatem Convocati.* III. Vocationis Medium est *κλησις ἀγια*  
*facta per verbum & Sacramenta; tum, inquit Hierony-*  
*mus, Ecclesia Constituitur atque conservatur, cum vox Christi*  
*in ea sonat & sacramenta legitime dispensantur.* Felix est Fa-  
 milia dotata piâ, castâ ac honesta Matrefamilias, quæ ju-  
 dice Syracide cap: 26: 21. *Sicut Sol oriens Mundo in altissimis Dei;*  
*sic Mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus: Multo fe-*  
*licior Domus Dei Ecclesia, 1. Tim: 3: 15. Cujus Sol Justitia Chri-*

*scilicet 7 Esias Mal 4:2. Domestici, omnes Credentes. Hebr. 3:6. Eph. 2:21. Domus hujus suppellex sunt gratia Dei, remissio peccatorum, donatio spiritus Sancti, salus & vita æterna. En tibi dives depositorium omnium gratiarum & Charismatum, inquit Iræneus. Quæ bona & dona distribuit Hera, inhabitatrix domus, ipsa casta, pudica & honesta Materfamilias, vera & sincera Religio, per servos & pedissequas, hoc est Ministerium sacrum Ecclesiasticum, universo Cœtui. Quæ Matrona, gloria Deo, est Lucerna Splendens super Candlabrum sanctum, & species faciei super atatem stabilem, Syrac: 26: 22. in Dulcissima nostra Patria Sveo-Gothica & Finnica. Quâ lætitiâ erectus & fretus, aliquot de Religione Christianâ Theses proponere, animum, numine propitio, induxi. sit ergo:*

#### THESIS I.

*Religio Vera est ratio à Deo Prescripta eum colendi, quâ homo Dei inimicus Deo reconciliatur, ut eo æternum fruatur. Beat. Sveonon: Syn. Theol. Disp. 1. Th. 12. pag. 6.*

##### I.

**V**ocis Derivatio licet quibusdam, ut Cic. & Jfiod. ex relegendo; aliis ut Sulpit. à relinquendo; aliis à reeligendo; interim optima est ut Lact. Aug. König. Qvenst. &c. Quibus dicitur à religando. Hinc Gvalterus in Matth. Religio à religando dicitur, quod per hanc Deo adstringimur, ut huic justa & debita officia præstemus: & e' contra ipse nobis sese per promissiones & sacramenta obligat. Finis enim Religionis hoc svadet, qui est Dei, tanquam summi boni, unitio & fruitio. En Gudzienst. Jdrening med Gudh.

2. Vox Religionis sumitur potissimum quadrupliciter. a. Latissime pro metu, timore & quovis conscientie scrupulo. Unde nata phrasis: est mihi Religio, id est, Conscientia

3

entiã prohibeor. β. Latè, pro religione falsa, ut Ethnica, Turcica, Arriana, Pontificia &c. cum tamen ut una est veritas, ita una Religio *γρησιως* Christiana. γ. *strictè*, idq̄ve 1. in specie pro veneratione religiosa ejus, quod Deus non est, ut cultus & adoratio Angelorum, quæ non est *θρησκεία* sed *ἑτελοθρησκεία* Coloss: 2: 18. 23. homines seducens.

2. Pro superstitione Monastica, contra S. Scripturam excogitata, & à Bellarmino, *Religio vocitata, quæ est status hominum, ad perfectionem Christianam, per paupertatis, Continentiæ, & obedientiæ vota tendentium.* Cum tamen Religio non statum, sed vel normam alicujus status, juxta quam Deus est Colendus, act: 26: 5. vel actum, quo Deus colitur, Jacob: 1: 27: denotat. Et hæ significationes sunt improprie. δ. *Adequatè & propriè* pro vera ratione Deum colendi, Quæ vel Paradisiaca in statu integritatis, refulgens in imagine Dei, quâ homo Deo fuit religatus; vel Christiana, quia per Christum ad salutem unice perducimur, Ioh. 14: 6. Quæ sumitur vel *μερικῶς* vel *ὀλικῶς*. *μερικῶς & partialiter*, vel totum Decalogum, ut 1. Tim: 1: 5: vel alterutram ejus Tabulam, ut Psalm; 111: 10. 1. Tim: 4: 8. primam ubi *πρώτως* Timorem Dei & *εὐσίβειαν* Pietatem, tanquam cultum divinum immediatum commendat, vel secundam, ut Jacob: 1: 26. 27. Rom. 13: 8. 9. 10. ubi *δευτέρως* Charitas in proximum, fluens ab amore Dei insinuat, importat. *ὀλικῶς & totaliter* accepta vox Religionis, complectitur omnia, quæ in Theologia traduntur, *tam credenda quam facienda, & quæ pietatem erga Deum, & quæ Charitatem erga proximum promovent.* Psal. 1. totus, 1. Tim: 4: 13. Act: 26: 5. &c. & ita sumitur in loco præsentis.

3. Religio dicitur Hebræis JIRAH, *Timor, reverentia, Proverb. 1. 7. à radice Jare, Esai: 50: 10. revereri, timere, venerari*  
A 2
& Abo-

4  
 & *Abodah, cultus, servitus* Esai: 32: 17. à Verbo *Abad, servavit, Ministravit, obsecutus est.* Psal. 2: 11. unde is merito censetur Religiosus, qui *Deum reverenter timet & sanctè Colit.* Græcis dicitur: *εὐσεβεία Pietas,* 1. Tim. 4: 8. *Διμὴ Θεῶν, honor Dei,* Ioh: 5: 23. *Θρησκεία, cultus,* Jacob: 1: 27. *καὶ ἐξοχήν, ἀλήθεια veritas,* Joh. 17: 17. *λογικὴ λατρεία, rationale obsequium,* Rom, 12: 1. August. *θεοσεβεία, Reverentia Dei.* Clem. Alex. *θεοπρέπεια, Cultus Deo conveniens.* Hæc scripturæ dicta dant quoque voci Religionis Synonyma Latina, Germanica, Svecica Finnica. &c. Sic fuit Nominis, quam sequitur ratio Rei. *Est Religio Christiana Ratio colendi verum Deum in verbo ejus prescripta,* Jer: 9: 24. Rom: 10: v. 12. ad finem. Reliqua realis hujus descriptionis membra per causas illustranda exhibebunt, bono cum Deo, Theses sequentes.

#### THESIS II.

*Vere Religionis causâ efficiens (a) Principalis est Deus Ter. Optimus, Maximus, velut principium omnis boni in Creaturis, idè vel respectu unitatis essentia, vel respectu distinctionis Personarum. (b.) Instrumentalis à parte Dei, solum ejus verbum est, à parte nostrâ fides. (c.) Ministerialis sunt Propheta in Veteri, & Apostoli eorumq; successores in Novo Testamento.*

**E**st hæc Thesis trimembris. (a.) *Omnes actiones divine eterna sunt vel essentielles vel personales. Essentiales* quæ manant à termino Communi ad Communem, ut Creatio, sustentatio, gubernatio, quæ ut manant ab absoluta essentia Dei; ita etiam manant ad eandem, & communes sunt tribus Personis, quoad essentiam, non quoad *τρόπον ὑπάρξεως.* *Personales* vero actiones sunt, quæ manant à termino communi, & conquiescunt in proprio. Sic licet tota Trinitas non sit incarnata, tota tamen incarnavit. &c. Respectu Unitatis Essentiæ operatio in efficienda Religione est communis toti Trinitati, respi-

5.  
ciens totum Genus humanum, *cujus universi & singuli salutem anxie desiderat*, Psalm: 68: 12. Psal: 97: 6. Esai: 49: 13. Ezech 33: 11. 12. &c. Respectu vero distinctionis Personarum, operandi modus est distinctus: *Nam Pater aternus eligens nos ante facta fundamenta Mundi, ut simus coram ipso Sancti & inculpati in conspectu ejus cum Caritate*, Ephes: 1: 4. *misit in plenitudine temporis filium suum*, Galat: 4: 4. *qui factus est non solum propitiatio pro peccatis totius Mundi*, 1. Ioh. 2: 2. *sed & revelavit nobis omnia ad salutem necessaria* Ioh; 1: 18: *donavit etiam Mundo Spiritum Sanctum, qui nobis dux fidei & vite est in omnem veritatem*, Ioh: 16. 13. *omniaq; nos docet suggeritque* Ioh. 14: 26. *annunciando omnibus nobis omne Consilium Dei de aeterna salute*, Act. 20: 27. *quod perfectum potest facere hominem Dei, ad omne bonum opus instructum* 2 Tim. 3. 17.

(b) *Causa Instrumentalis, a Dei parte, est solum Dei verbum scriptum, quod est principium totius Religionis normativum, ad quod unice remittimur*, Esai: 8: 20. Luca: 16: 29. 2. Pet: 1: 19. *a parte nostra est vera & salvifica fides, qua operatur per charitatem cum gaudio*, Galat. 5. 6. *hinc juxta Theologos tria verae Religionis singularia apud Pios effecta: 1. Conscientiae Tranquillitas. Rom: 5. 1. 5. cap. 14. 17. 2. Vita Sanctitas, Gal. 5: 22. Tit: 2. 12. Iacob: 1. 27. 3. Benedictionis Corporalis sed praecipue Spiritualis & aeternae hereditas. Psalm: 112. 1. 2. 3. Ephes: 1: 3. Matth: 25: 34.*

(c.) *Gaudebant Prophetæ & Apostoli immediatâ, Apostolorum vero Successores mediatâ a Deo vocatione, & huc usque gaudent, imo gaudebunt ad finem Mundi. Per immediate vocatos, nempe Ministerium Prophetarum & Apostolorum fundamentum Ecclesiae est positum*, Ephes. 2: 19. 20. *Qui licet diversis temporibus vixerunt, tamen eandem de Christo Doctrinam proposuerunt, nempe Patres in Veteri Testamento*

Testamento fuisse Salvatos per Christum promissum, homines verò in novo Test. per Christum exhibitum, utroqueq; vera salvificaq; fide apprehendendum. Act: 4: 12. cap. 10: 43. cap: 15: 11. Hebr: 13: 8. Apoc: 13. 8. Hinc Paulus habens Concionem ad Populum, de Merito Christi. inquit Act: 26. 22. se nihil dicere extra ea, quæ Moses & Propheta locuti sunt, hinc Poëta:

*Secula sunt Patribus non variata fides.*

Quod observandum sicut & priora 2. Membra contra Pelagianos & quosdam Pelagianizantes Pontificios, statuentes homines ante legem per naturam, deinde per legem, postremò per fidem; Imò Ethnicos, non fide in Christum, sed honestâ vitâ per legem naturæ, fuisse salvatos. Item contra Socinianos, Arminianos, Anabaptistas, Svenckfeldianos & Weigelianos, negantes Deum requisivisse fidem in Christum à patribus, in vet. Test. sed observantiâ legis quod salvati fuerunt; imò nec Trinitatem nec Christi aut S. Sancti Deitatem fuisse ipsis revelata, nec bona spiritualia & æterna eis promissa, mentientes. Eiusdem farinae sunt Novatores, non sincere Credentes, unam eandemque fuisse Religionem, Quoad substantiam in utroque Testamento. Quæ sanè omnia identitatem modi salvandi tollunt, aliud atq; aliud objectum Colendum proponentes.

Utriusq; Testamenti discrimen & convenientiam in disputatione sua Synodali, habita Calmarie 1664. & typis excusa, cujus Præsidem egit, tunc Lector ibidem S. S. Theolog. ac Pastor in Uungbn & Archipræpositus, Præceptor meus per Sexennium fidelissimus, hodie vero, ô utinam diu ac feliciter! ArchiEpiscopus Upsalensis, Celeberrimus Dn. Doctor OLALIS SWEBILIUS, Thef. 16. sic explicat: Testamentum proprie id est, quod morte Testatoris sancitur. Quæstveris hinc forte, qui ponerit hoc nomen Convenienter dici de Veteri Testamento, quum  
Christus

*Christus non sit bis mortuus? Resp. propter typicam mortis Christi representationem, dicitur vetus illud pactum, Testamentum; Nam Agnus Dei est occisus ab origine Mundi, Apocal: 13. 8. Non sunt diversa hæc Testamenta, inquit Lactant. lib. 4. de vera sap. cap 20. quia Novum veteris adimpletio est, & in utroq; idem Testator Christus. Unum est testamentum ratione bonorum essentialium, duo vero ratione temporis & dispensationis. Vetus proponit typos & umbras, quæ præcesserant: Easdem novum explicat, simulq; corpus & veritatem exhibet. Ex quibus oppidò liquet, unam eandemq; esse religionem, circa unum idemq; objectum Colendum, & in vet. & in Novo Testam. quoad τὰ οὐσιαστικὰ seu substantialia, datur tamen aliqua diversitas quoad τὰ περιστασιακὰ seu Circumstantialia, ratione objecti Christi exhibendi & exhibiti, imo & ratione temporis, graduū perspicuitatis & Claritatis. Sic Simeon Luc: 2: 28. Jesum in ulnas recipiens Religionem non mutavit, Circumstantijs quibusdam fidei mutatis, fides ipsa & religio eadem mansit. Quare cum fides & vera Religio sit una, & Articuli fidei ad salutem necessarij fuere & sunt omniū temporum, ideo eisdem fidei Articulos, eandem Religionem derivârunt, Deo sic clementer providente, Prophetæ in Apostolos, Apostoli vero in Nov: Testam. ad suos successores sed*

*Mediate vocatos. Qui ædificant & struunt super positum & Prophetis & Apostolis fundamentum 1. Cor. 3: 10. 12. existente lapide Angulari ipso Christo, Ephes: 2: 20. hanc sanam & cannam Doctrinam, Veram & Sinceram Christianam Religionem. Quæ à Seculo ad seculum ita plantata & propagata, laus Deo, ad nos & nostra tempora, quoq; pervenit integra & salva.*

### THESIS III.

*Religio, quam profiteremur, est vera & (a) γρησιως Christiana, (b) Eamq; docuit, legitime & ordinarie Vocatus, Beatus vir*  
DEI

*Dei Lutherus (c) Sicut & ejus Successores Ecclesia Lutheranæ Ministri, verâ & legitimâ Vocatione, (d) Donisq; Spiritus Sancti gaudent.*

**E**st hoc Theorema quadrimembre. (a) Jesuitæ Posnanienses in Polonia scriptitant Th: 29: de Ecclesia: *Nam & tempus & locum, ubi orta sit Ecclesia Lutherica, qui ei restiterit, & quis eam damnârit ostendere possumus: Cœpit enim Lutherus Hæreses suas promulgare Anno Christi 1517. Witebergæ, qui subito ut exortus est à Papa leone X. Condemnatur, ab Eccio, Cochleo, Roffensi, aliisq; confutatus fuit.*

Resp. 1. Agimus illis gratias, quod singulare *Mysterium Cabalisticum* nostræ liberationis nobis aperiant. juxta namque chronologos fide dignos, Anno ante natum Christum 1517. Populus Israeliticus afflictissimus, Ecclesia Veteris Testamenti, per Mare rubrum, ex Servitute Ægyptiaca gloriosissime est educta: Sic itidem eodem Anno 1517. post natum Christum, afflictissimam Ecclesiam Novi Testamenti, ex Pharaonis Romani Pontificis, plus quam Ægyptiacis & Cimmericis tenebris, servitute, dolis & tyrannide, misericors Deus populi sui, tot retro seculis, pressi ac ferme tabescentis misertus, liberavit clementissime, inq; lucem ac gloriam salvifici verbi sui postliminio vindicavit. Ideo Omnes Lutherani pæana fatalem verbis hymnifonis, Deo ter optimo Maximo, Canunt:

*tibi Cherubin & seraphin Incessabili VoCe ProCLamant!*

Resp. 2. *Non omne novum est falsum & sic reprobandum.* Nam Multa apparenter videntur esse nova, ob rem insolitam, quæ in rei veritate maximè sunt antiqua & vera. Sic Haman dixit, *judeos usos esse novis legibus*, quæ tamen fuere leges ipsius Dei antiquitus ipsis præscriptæ, Esther: 3: 8. Epicuræi & Stoici philosophi aiebant, cum paulus Athenis

nis



nis Christum salvatorem Mundi prædicaret: *Quæ hæc est nova doctrina? nova infers auribus nostris, Act: 17: 19. 02.* Quæ tamen antiqua fuit Christiana doctrina & religio, ipsis licet insolita, ideo;

Resp. 3. *Distingvimus in Novum & renovatum.* Non enim tum Religio & Ecclesia nostra est nata, cum Vir Dei *Lutherus*, Anno 1517. inciperet palam contra solum Romanense, instar Tubæ Angelicæ clangere & fulgurare: sed, eodem Anno, è tenebris Antichristi eluctata est, & caput extulit in liberiores auras. Sicut in Ægypto per multos Annos, Ecclesia fuit sub tyrannide Pharaonis, & non demum nata, quando in citeriorem maris rubri ripam contendit; ita nec nova Religio tum inventa, sed veterem, adeoque primam, Evangelicæ veritatis Doctrinam *Lutherus*, cum tota vera Ecclesia, confessus est, *ad ambulandum in vijs antiquis, & relinquendum Novitates Antichristicas.*

4. *disting. inter Religionis veritatem & Puritatem.* Fuit etiam, ante *Lutherum* in papatu, *Religionis & Ecclesie veritas, conservata in baptizatis infantibus, Martyribus & Christianis simplicibus.* Facta enim non fuit defectio totalis, à Christiana Religione, sed partialis. Habuerunt enim multa bona & pretiosa sub Papatu, nempe sancta Biblia, Baptismum quoad substantialia, Pericopas Evangelicas, Precationes, decem præcepta, Hymnos, orationem Dominicam, Symbolū Apostolicum &c. Sic verbum Dei, per quod Spiritus Sanctus in Cordibus piorum est efficax, non fuit penitus amissum, quæ omnia à pontificiis, ut *Scriniariis & Bajulis nostris*, accepimus, sed scoriis ac traditionibus humanis valde collutata, illita atque corrupta. Quibus omnibus corruptelis papisticis, operâ & studio *B. Lutheri & ejus fidelium Parastatarum* præcis, eluxit è tenebris, cum antea pressa

veritate, quoque ipsissima Religionis puritas, atque utriusque splendor liberrimus. *Et sic iterum, laus Deo! ut inferit Theſis, habemus & profitemur veram & ymoſios Chriſtianam Religionem, à tempore Apoſtolorum usque hunc diem, ad nos deductam.*

Hinc patet, licet Ecclesia universalis non potest errare, hoc est, nequit amittere fundamentum Religionis doctrinale & reale, cui est superstructa, ut desierat esse. Matth. 16: 18. cap. 28: 20. Esai: 59. 21. jerem: 33: 15. &c. Contra Socinianos & Arminianos; errare tamen, contra Pontificios, potest particularis, ut utrumque notum ex superioribus. Habuit Christiana Religio *faciem Virginalem, pulchre ornatam*, tempore Christi & Apostolorum. Qui flos virginalis perijt, obtinuitque *faciem maculatam*, instar puellæ lascivientis, successu temporis, ab Apostolicæ fidei simplicitate deficiens; donec nacta *faciem prorsus deformatam*, sub Antichristo Romano, *pretiosum & vile commiscens* jer: 15. 19. Quæ tandem Anno 1517. nacta est *faciem denuo reformatam*: Quia Deus Clementissimus omnes errorum maculas, ut visum supra, verbi sui divini spongiâ, à Religione & Ecclesia absterſit, omnique meretricio humanarum traditionum fuce abolito, *Matronale castitatis decus* ei denuo conciliavit, *eam ex tenebris in Lucem, ex valle errorum in viam veritatis reducens.* Zach: 14: 7. 8. 9. Quas, quoque hodiernum *nostra Ecclesia Lutherana*, Religionis Tabulas Matrimoniales, Sponſo Jesu Christo servatas, tanquam *vera Ecclesiæ ac Religionis notas; nempe Verbi Dei sinceram Predicationem, ac Sacramentorum ad Christi institutionem administrationem*, firmiter retinet. Ad has notas omnia scripta, omnes spiritus, tanquam ad lapidem lydium, sunt probandi, sunt examinandi.

Quibus observatis, facile apparet Posnaniensium calumnia: *Beat. Lutherus non enim sparsit, sed refutavit Hæreses seminando vivum ac efficax Dei verbum*, quod quidem premere, primum potuerunt Meretrix babylonica, Papa Leo, ac ejus Adseclæ minas spirantes, cum capite suo imaginario; sed nunquam opprimere, ut dicit *Divus Lutherus* quodam in loco: *Würgen vnd morden können ihr wol aber widerlegen können ihr nicht*. Veritas enim ac puritas Evangelica, inter tot tentationum ac conflictuum spinas, veluti liliū nihilominus progerminavit, & radios suos undiquaque projecit. *Sic virtus Dei perficitur in infirmitate*, 2. Cor: 12: 9. Nam:

*Lutherus Decimum confecit strage Leonem;*

*De Clava noli querere: Penna fuit.*

*Sceptrum, Bulla, Schola, Regis, Papæ, Monachorum,*

*Uni Luthero nil sociata nocent.*

(b) Vocationem Lutheri, *Contra Calumnias Pontificiorum, Bellarmini, Becani, Ungersdorffij, & aliarum Cicadarum Apocalypticarum*, ad sacrum Ministerium & officium Ecclesiasticum, probant sequentia esse ratam & verbo Dei conformem:

1. *Ipsa ordinatio facta, Anno Christi 1507. ætatis ejus 24. in Presbyterum, ab Episcopo in Collegio August. Erphordie, accepta potestate docendi verbum Dei.* Etsi enim Corruptum fuerit sub Papatu Ministerium, ipseque ritus ordinationis, multis superstitiosis Ceremoniis, fuerit vitiatus, ex eo tamen, ipsius ordinationis essentiæ nihil decedit, nec ejus ordinatio, ab Episcopo pontificio facta, fuit illigitima, ut docet Artic. Smalc. art. 10.

5. *Anno 1508. vocatus fuit, diplomate Elect. Saxon. Frid. Sap. præcuntibus literis Job. Staupitii August. Generalis & Senatus Wi-*

tebergensis, ad Presbyterium & Professionem Theologicam, in Ecclesia & Academia Witebergensi.

3. In solenni Doctoratus actu, 1512. data ei potestas, veritatem Doctrinae caelestis docendi, Contraq; quosvis ἐπιποδοξες, vivâ voce & scriptis, defendendi.

Huic ordinariæ vocationi accefferunt quoq; multa extraordinaria, in singulari opere reformationis, quod confirmant:

1. De Luthero Antichristum Revelaturo, vaticinia: Dan. 8: 25. c. 11: 44. Jerem. 51: 48. 2. Thessal. 2: 3. 6. 8. Apocal. 14: 6.

2. Dona ejus Excellentia & singularia, imò Prophetica.

3. Opera ejus in lucem edita, Spiritu Dei plena, temporali ac Disputationi relinquenda, sicut & reliqua, brevitati litando, nunc omittenda.

(c) Cum jure divino & Canonico, dist. 95: c. 5. *inter presbyterum & Episcopum nulla sit differentia*, & Lutherus Presbyteriali, h. e. Episcopali potestate fuerit præditus, atq; ad ordinandi officium à Magistratu, consentiente Ecclesia, legitime requisitus & designatus, de illorum, quibus manus imposuit, legitima ordinatione, dubitari nequit; sed mansit rata hætenus, & manebit usq; ad finem mundi, sicut & peracta ab ejus Symmystis, eorumq; successoribus usque hodie. *Idq; contra pontificios.*

(b) Oratione & manuum impositione, Actor: 6: 6. c. 13: 3. 1. Tim: 4. 14. ritu Apostolorum Ordinatis Ministris Ecclesiæ, una cum munere Ecclesiastico, dantur certissime dona spiritus sancti, 2. Cor: 10. 8. & 13: 10.

Pij Ecclesiæ Ministri habent & *dona sanctificantia*, quoad propriam personam, & *administrantia* ad officium peragendum; Impii vero, per quorum Ministerium Deus quoq; est efficax, contra Donatistas & Anabaptistas, licet careant pri-

prioribus, gaudent tamen donis in officio administrandis: Quia æque efficacia sunt media salutis, administrata sive à Paulo sive a juda, ob authoritatem Dei instituentis. Nam est Ministerium Ecclesiasticum *δρακονία τῆ πνεύμα* ⑥, Ministerium Spiritus, 2. Cor: 3. 8. & Ecclesia Ministri *Διάκονοι πνεύμα* ⑥, Ministri Spiritus. v. 6. idq; triplici de causa:

1. Effective ratione institutionis, quia Spiritus Sanctus, una cum Patre & Filio, illud instituit. Act: 20: 28. cap. 13. 2.

2. Active ratione efficacis operationis, quia Spiritus Sanctus, singulari sua gratia, Ministerio adest, ei benedicit, Sanctificat, & per illud operatur efficaciter, 1. Cor: 12: 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11.

3. Passive ratione Collationis, quia in Ministerio & per Ministerium, tanquam benedictum Dei organum, donantur homines, pij Auditores

1. Fide & Spiritu Sancto, Act: 10. cap: 44. cap: 19: 6. Galat. 3: 2.

2. Per Ministerium Fides in Cordibus excitatur. Act: 16. 14.

3. per Ministerium homines ad Deum Convertuntur, Regenerantur, sanctificantur & illuminantur, Act: 26: 18. Ephes: 3: 6. 7. 8. & c.

4. per Ministerium homines Deo reconciliantur, 2. Cor: 5: 20.

5. Per Ministerium homines remissionem peccatorum, & justitiam consequuntur, Luc: 1: 76. 77. Act: 2: 38. Dan: 12: 3.

6. Per ministerium Ecclest. homines ad vitam eternam perducentur. 1. Cor: 1. 21. 1. Cor: 15: 2. Cum hæc sint singularia opera & effectus Spiritus Sancti, ergo habent Ecclesiæ Ministri, in officio peragendo, Spiritum Sanctum. Nam: Verbum Dei & Spiritus Sanctus semper sunt Conjuncta, Matth. 10: 20: nunquam disjuncta 1: Cor: 12. 4. Mundamini ergo, omnes Ecclesiæ Ministri, Verbi Dei Præcones, qui fertis vasa Domini, Pollutum nolite tangere, Conservando ope & adiutorio Spiritus sancti cujus, non peccati, servi estis, officii memores, cum Doctrinæ puritate etiam vitæ sanctitatem! Esai: 52. 11. Rom: 6: 16. Eph. 4: 2. 1. Tim: 4. 12. & c.

Qui hodie, spiritum Revelationis novæ expectat, est fanatico Spiritu, non candido, sed atro, etiam in angelum lucis se transformante, 2. Cor: 11:14. compulsus & convulsus. Scribunt enim Hist. Tripart. lib. 6. cap: 11. & Nicephor. lib: 11: cap. 14. *Quod Enthusiasta veteres, dicti Messaliani, Demonis cujusdam operationem expectarint, & hanc Spiritus Sancti presentiam arbitrati fuerunt, hoc est, quod raptus divinos expectaverint, & somniorum suorum phantasias appellaverint Prophetias. Hi alio nomine dicebantur ἐυχῆται, hoc est Orantes: Quia dies ac noctes in oratione Consumebant. Item ἐνθουσιασταί, Enthusiasta, h. e. afflati vel divini, ab ἐνθουσιάζεσθαι, rari divino numine quasi ἐνθεῶν divinus.*

Sic quoque novi Enthusiasta, videlicet Anabaptista & Svenckfeldiani, externum verbi, & sacramentorum Ministerium, negant esse fidei & salutis conferendæ medium; sed dicunt verbum Dei esse literam mortuam: Contra vero ad afflatum S.S. internum, five ad verbum internum homines remittunt.

Ab hac fanaticâ, ἐνθουσιασµῶν opinione, neclibera est Anna Maria Schurmannia, quæ in sua ἐκκλησία, seu melioris fortis electione ( in quo scripto se velut alteram illam Mariam, Luc: 10:42. optimam partem & convenientissimam Deum colendi rationem elegisse gloriatur ) pag 79. *negat vel ipsis regenitis sufficere scripta infallibilia verbi Dei, ad vitam Cælestem degendâ in terris, sed peculiare ductus expectandos esse.*

Eiusdem erroris sunt novi Labadista, Jean de Labadie sectatores, qui in scripto, quod Communi nomine, Anno 1672. cum hac inscriptione: *veritas sui vindex*, ediderunt p. 242. quoque *negant scripturam sacram esse unicum medium, ad veritates divinas nobis detegendas, animisq; nostris insigendas.* Hac ratione Satan virus suum solet spargere, inter simpliciores & mentes incautiores. Ergo nolite credere omni spiritui, sed probate Spiritus

ritus nunc sint ex Deo, quoniã multi pseudopropheta exierunt in Mundum, 1. Job. 41. Verbo Dei itaq; tam firmiter adhærendum, ut Si vel nos, vel Angelus de caelo Evangelizet aliud Evangelium, præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis Evangelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit. inquit Paulus ad Galat: 1: 8: 9. Hæc de causa efficienti principali, Instrumentali, & Ministeriali, aliquid prolixius, fonticas ob rationes actum est; nunc de reliquis causis brevius.

#### THESIS IV.

*Materialis Causa vera Religionis, est vel (a) ex qua, vel (b) in qua, vel (c) circa quam.*

(a) **M**ateria veræ Religionis ex qua, est Fides & quæ creditur, Colof. 1: 23. & quâ creditur, Hal: 2: 4: Joh. 3: 16. 36. & Charitas, Matth. 22: 37. 39, tum erga Deum, Deut. 6: 5. tum erga Proximum, Levit. 19: 18.

(b) In qua, seu subjectum quo & inhæfionis mediatum, veræ Religionis est anima. Psal. 94: 19. immediatum quâ notitiam, intellectus Psal. 10. 11. Ephes. 3. 19. quâ Fiduciam, voluntas Heb. 13. 21. subjectum quod & adæquatum est totus homo, ita ut omnia membra Corporis sint militiæ spiritualis arma, Rom: 6. 13. cap: 12. 1.

(c) Objectum Colendum est Deus Trinus, Deut: 6: 13. Matth. 4: 10. Quod Objectum est vel primum, ut vera Dei cognitio, Joh: 17: 3. Sapient: 15: 3. vel a primo ortum, & est legitimus Dei cogniti Cultus; Syr: 35: 20. Psal: 147. 11. In duobus hisce punctis tota consistit sacra scriptura, & parva nostra Biblia ipse Catechismus, ut suo loco videbimus, nimirum in Θεογνωσία & Θεοδοξία, Dei agnitione salutari & vero Cultu. Psal. 100. v. 2. Θεογνωσία; v. 3. 4. Θεοδοξία. Agnoscit etiam Lactant. lib. 4. cap. 28. has duas  
veræ

veræ Religionis partes, quando inquit: *Apparet, nullam aliam spem vitæ homini esse propositam; nisi, ut abjectis vanitatibus & errore miserabili, Deum cognoscat & Deo seruiat: nisi huic temporali renunciet vitæ, ac se rudimentis iustitiæ ad Cultum veræ Religionis instituat. Hac enim Conditione gignimur; ut generanti nos Deo iustæ & debita obsequia præbeamus: Hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus: Unde ipsa Religio nomen accepit. Contra pontificios, præter Deum, etiam Angelos & Sanctos invocantes.*

#### THESIS V.

*Forma Religionis consistit, in congruentia Cultus cum voluntate Dei, in verbo revelata.*

**D**ebet ergo Religio habere conformitatem cum Sacrâ scripturâ quæ est vox Dei, Rom: 12: 6. cap. 15: 18. ad hanc formam & normam omnes opiniones, circa Religionem, sunt examinandæ. 1. Thess. 5: 21.

#### THESIS VI.

*Causa Finalis Christianæ Religionis est, vel (a) respectu Dei, vel respectu (b) Nostri, vel respectu (c) Verbi Dei, vel respectu (d) proximi.*

(a) **R**espectu Dei, est vera ejus cognitio & glorificatio. Joh. 17: 3. Rom: 1: 21.

(b) Respectu nostri, est cum Deo redunitio, Joh. 14: 23. 1. Joh. 4: 16. & æterna Dei fruitio. Joh. 20: 31. Psal. 17: 15. 1. Joh. 3: 2.

(c) Respectu verbi Dei, est fidelis ejus custodia & observatio, atq; attenta adhæsiō. 1. Tim. 3: 15. Rom. 1: 16. 2. Tim. 3: 15. 16. 17. Rom. 15: 4. 2. Pet. 1: 19. Esai. 8: 20. Luc. 16: 29. &c.

(d) Respectu proximi, est 1. Piorum ad omnia bona invitatio & in pietate ædificatio, 1. Cor. 10: 32. 33. 2. Impiorum conversio, Psal. 51: 15. 3. Veræ Religionis hostium, cum eis belligeratio, Psal. 84: 7. 8. Convictio, Act. 6: 10. & veræ Religionis Lucratio: Matth. 5: 16. 1. Pet. 2: 12. Jacob: 5: 19. 20.

#### THES. VI.



## T H E S I S VII.

*Affectioes Religionis γρησίως Christiane sunt: I. Divina sublimitas, II. Unitas, III. Veritas, IV. Sanctitas, V. Perfectionis singularitas, VI. Antiquitas, VII. Necessitas, VIII. Utilitas, IX. Invincibilitas, X. Perpetuitas, XI. Spontaneitas, XII. Sortis varietas, XIII. ἐπεργεια seu efficacia.*

Expositam Religionis naturam, quoad ipsum essentialia constituens, ejusdem extraessentialia consequens, per 13 affectioes explanandum, immediatè sequitur.

## T H E S I S VIII.

*Divina sublimitas est affectio Religionis, alliciens hominum animos in sui venerationem, & quidem intellectum ad assensum, & voluntatem ad obsequium.*

**I.** Ratio formalis hujus affectionis, consistit in facultate *movendi hominum Animos*, (hominibus namque religio innotescit ac manifestatur) *seu alliciendi & trabendi eorum intellectum, ad assentiendum ejus dictis & assertionibus; atq; in jure obligandi eorum voluntatem ad obsequendum ejusdem mandatis.*

Et hinc religionis dignitas, eminentia, & sublimitas est duplex; vel *1. absoluta*, ratione sui, quoad φύσιν ac constitutionem, vel *respectiva*, ratione nostri, quoad γνώσιν, cognitionem, agnitionem & obsequium. *Absolute* spectata habet summam & independentem majestatem, essentialem & divinam auctoritatem, *efficienter* quidem ab ipso Deo, *formaliter* vero à conceptu divino, & veritate, quam continet, primâ, sibi communicatam; *Respective* verò spectata involvit σχέσιν five habitudinem μετὰ ἄλλο, ad subjectum cui innotescit ac in pretio est.

2. Alii distinguunt inter *divinitatem ejusdem intrinsecam* & *extrinsecam*, sive inter dignitatem, & de istâ dignitate hominum æstimationem. Dignitas religionis *intrinseca* semper est æqualis sibiqve constans, sive accedat æstimationis hominis conveniens sive non, *extrinseca* autem, seu iudicium de istâ dignitate est varium. Atqve sic *rectum vel pravum; rectum ac verum* quidem, quando religioni tribuitur ea dignitas & divina sublimitas, atque de facto, ad assensum & obsequium, ea reverentia, quæ ei *de jure*, cœlestem ob revelationem, debetur: *pravum vero ac perversum*, quando fit aliter, ut (proh dolor,) videamus *de facto* sæpè evenire, quod *de jure* fieri non debuisset.

3. Quod vitium *hujus vel illius Sectæ, hujus vel illius hominis male, impiè, & irreligiosè viventis, non imputandum Religioni ipsi*. Nam divinitas religionis non æstimanda ut sit in concreto ac ratione existentia; sed ut consideretur in abstracto ac ratione essentia. Error & vitium *persona* non adscribenda *rei ipsi, per se bonæ*, sed accuratis limitibus sunt distinguenda, sicut & id quod competit *rei per se*, ac ei evenit contingere *per accidens*. Religionis sublimitas est Lux clara & perspicua, sed ei accidit, quod Filio Dei: *Lux in tenebris luxit, sed tenebræ eam non comprehenderunt. Job. 1: 5.* Non ergo accusanda religio insufficientia, obscuritatis, deceptionis aut falsitatis, quæ in se & absolute est divinitatis, lucis ac veritatis plenissima, & *Lucerna pedibus nostris Ps. 119: 105.* Sed hominum plerorumq; deploranda est *cæcitas*, eoq; magis, quod sit *voluntaria*, dum ipsi, ne videant, oculos sibi suffodiunt. Sicut Sol est lucidus & mensura lucis, etiamsi à Cæcis, noctuis ac vespertilionibus, & illis qui in tenebris latent, non cernatur. Gnomon solarium in se est regula horarum, sive aspiciatur & attendatur

tur five non: *Sic Christiana ymoctas religio est divinæ sublimitatis & majestaticæ Lucis, licet pauci mortalium sint, qui eam salutariter audiant, attendant, legant, meditentur, recipiant, pro divinâ agnoscant, aut debitâ reverentiâ & obedientiâ observent. Quod contra Ethnicos, Mubammedanos, Judæos, Pontificios, Enthusiastas, Weigilianos, Præadamitas, aliosq; spiritus fanaticos est observandum.*

4. Ergo comparatè, ut est hæc affectio attributum, religionis relativum, quoad nos, hominibus persvaderi debet ejus divina sublimitas, dignitas & majestas, certis argumentis. Quorum aliis omiffis, eidem hæc divinitas concilianda, (a) *ab origine*, (b) *ab objecto*, (c) *â fine*. Nam: *â Deo est, de Deo docet & ad Deum ducit.*

5. *Ratione (a) originis* Deum agnoscit auctorem, *origine est divina & cœlitus patefacta*. Quò jam est excellentior & sublimior, personæ aliquid dicentis aut mandâtis, perfectio & dignitas, magisq; perspecta & cognita, eò quoque major est dictorum ac factorum ejus apud homines auctoritas & æstimatio: Cum itaq; Dei perfectio, consistens tum in ejus omniscientia, bonitate & veracitate, qua nec falli potest, nec fallere, tum in ejusdem jure & potestate, quam in omnes creaturas obtinet, summa est & infinita, hinc quoq; religionis sublimitas maxima est & eminentissima, quâ major nec dari nec excogitari potest. Ejus itaq; dictis assensus certus ac fides indubitata, atq; mandatis obsequium debetur irrefragabile. Ergo *qui per hæc Religionis divinitatem convincitur, firmissimè convincitur*, cum una eademq; sit auctoritas Dei & Religionis, sed non eodem modo; nam habet eandem Deus ex sese & â se, Religio verò ex divina inspiratione & peculiari Dei ordinatione.

6. *Ratione (b) objecti*, Religio Deum homines docet

Et in casu recto, & obliquo, ut loqui amant Scholastici, id est, ejusdem objectum est & Deus colendus, & Res Dei, Myſteria nempe fidei, ita ut, agat  $\omega\delta\epsilon\iota\ \tau\tilde{\omega}\ \Theta\epsilon\tilde{\omega}\ \kappa\alpha\iota\ \pi\epsilon\epsilon\iota\ \tau\tilde{\omega}\nu\ \theta\epsilon\iota\omega\nu$ , de Deo & rebus divinis, quæ sunt summa & eminentissima myſteria, ejusdem divinam sublimitatem arguentia, cordaq; hominum firmiter ad applausum & obsequium convincentia & obligantia.

7. Vocem *Myſterii*, sæpissime occurrentem in sacris literis, ut *studiosa juvenus* melius intelligat, ejusdem accuratorem, datâ & injectâ ex occasione, explicationem haud censemus infrugiferam. Nomen *Myſterii* alii dicunt esse origine græcum,  $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\rho\iota\omega\iota\ \delta\iota\alpha\ \tau\tilde{\omega}\ \mu\upsilon\epsilon\iota\nu$ , quod est *cludere*, ut *mysterium* sit *res clausa*, *arcana*, *abstrusa*, & per translationem, est *initiare seu sacris imbuerere*, unde  $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\varsigma$  *sacris initiatus*, *sacra discens*, latinè *myſta*, *hymmyſta* est *Præst* / ita nuncupatus, quod ei os claudendum quasi fuerit, nè sacra divulgaret: Alii malunt esse *Ebraum*, à radice *Satbar*, *Abſcondit*, *occultabit se*, *latuit*, unde *miſtbar*, *miſtbor* *abſconſio*, *abſconditum*, *latibulum*, *occultum*, *abditum*, unde quoq; quibusdam *Saturnus* dicitur. Et sic *Myſterium* est *res abſcondita*, *latens*, *occulta*, *abditæ*, & *rationi humane secreta*. Vox *myſterij* accipitur, (1) *pro re prorsus arcanâ & abſconditâ*, ut *processus Dei in puniendo*, nobis *mysterium ſapientia* dicitur. *Job. 11: 6.* (2) *pro re ab aliis non intellecta*: ita *myſteria loqui* dicitur, qui profert ea, quæ abſcondita & occulta audientibus manent, dum sermone profertur incognito. *1. Cor. 14: 2.* (3) *pro re aliquâ ſignificationem abſconditam habente*, *Dan. 2: 22.* Est *Deus qui revelas*  $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\rho\iota\alpha$ , *res ſignificationis abſconditæ*: ita dicitur *mysterium mulieris & bestia*, *Apoc. 17: 7.* (4) *Pro re occultis artibus contexta & velatâ*, quomodo  $\mu\upsilon\sigma\tau\eta\rho\iota\omega\iota\ \tau\tilde{\omega}\varsigma\ \alpha\nu\omicron\mu\iota\alpha\varsigma$ , *doctrina & operatio*

ratio AntiChristi dicitur, quia tota profundis, & perspicacissimos quosq̄ latentibus fraudibus constat, 2. Theff. 2: 7. aut etiam ideo, quod pro mysterio venditetur, quare meretrix Babylonica dicitur habere, in fronte scriptū, nomen *Mysterium*. Apoc. 17: 5. (5) pro re arcanā rationi humana abscondita: quo sensu, sapientia Dei seu doctrina Evangelii, 1. Cor. 2: 7. in mysterio esse dicitur, quod sit ἀποκεκρυμένη, quam nemo Principum hujus seculi cognovit, & μυστηριον vocatur χριστοῦ αἰωνίως σιγήμενον, aternis temporibus tacitum, Rom. 16: 25. quod absconditum fuit antequam revelabatur, nunc autem manifestatum, per scripturas propheticas v. 26. Dicuntur autem hoc nomine res Dei mysteria fidei arcana, rationi humana abscondita, nec nisi revelatione divinā patefacta: Eāq̄ voce vel εἰδικῶς exprimuntur abscondita nonnulla doctrinæ cœlestis capita in specie: utpote 1. *mysterium incarnationis*, quod est ὁμολογημένως τῆς εὐσβείας μυστηριον, citra controversiam magnum pietatis mysterium, 1. Tim. 3: 16. partim ratione originis, quia non est profanum, sed religionis Christianæ mysterium, piè ac religiosè considerandum; partim ratione finis, quia est fundamentum omnis veræ religionis & pietatis. (2) *Mysterium copulationis Christi cum Ecclesiā*, quæ magnum dicitur mysterium. Ephes. 5: 32. (3) *Mysterium vocationis Gentium* Eph. 3: 3. 6. quod tale dicitur *mysterium* v. 5. quod aliis ætatibus non innotuit filiis hominum, ut nunc revelatum fuit sanctis ejus Apostolis & Prophetis per spiritum; sive quod non omnibus hominibus revelatum olim fuerit, quemadmodum nunc, aut quod ita non innotuerit, rebus ipsis & operibus, ut explicat Chrysost. (4) *Mysterium conversionis gentis Judaica ad fidem Christi*, Rom. 11: 25. (5) *Mysterium Sacramentorum*, quæ Patribus Græcis specialiter mysteria dicuntur, eoq̄ sensu Ministrum verbi οὐκ ὄνομα τῶν μυστηρίων τοῦ θεοῦ, dispensatorem mysteriorum Dei, hoc est

*Sacramentorum* dici nonnulli censent, 1. Cor. 4:1. quamquam ibi etiam mysterium verbi vel doctrinæ hujus cœlestis comprehendatur. (6) *Mysterium de immutatione eorum qui novissimo die superstites erunt*, 1. Cor. 15:51. (7) *Mysterium vel perfecta beatitudinis Electorum, quæ nunc latet & abscondita est, vel finalis liberationis Ecclesie*, Apoc. 10:7. Vel *æternis* omnia Religionis Christianæ capita eâ voce exponuntur, ut 1. Cor. 13:2. *Si scirem omnia mysteria*; quæ *mysteria Regni cœlorum vel Dei* dicuntur, Matth. 13:11. Marc. 4:11. Luc. 8:10. *Mysterium voluntatis Dei*, Eph. 1:9. *Mysterium Christi* Eph. 3:4. Col. 4:3. *Mysterium Evangelii* Eph. 6:19. *Mysterium Fidei*, 1. Tim. 3:9. *Mysterium absconditum ab æterno in Deo*, Eph. 3:9. *Mysterium a temporibus secularibus absconditum*, Rom. 16:25. *Mysterium absconditum ab æterno, & à generatione, nunc vero sanctis ipsius manifestatum*, Col. 1:26. Et in hâc significatione generali, titulis hîsce honorariis insignita, sumitur hic loci non tamen excludendo, sed potius includendo *Mysteria specialia, Christianæ Religionis capita.*

8. *Ratione (c) finis* quoq̄ satis est perspicua nobis Religionis Divina sublimitas, ac dignitas, in ducendo homines ad ipsius Dei gloriosissimi sublimem fruitionem, tam *inchoatam* in hâc, quam *consummatam* in vitâ alterâ. Hæc ipsa Dei fruitio in hac vita inchoatur per fidem, in altera consummatur per visionem. Consistit autem *inchoata Dei fruitio, in reali communiione omnium bonorum essentialium, vitæ æternæ cum Ecclesia triumphante, quoad ωεμτιομὸν sive prægustum.* Et hinc dicuntur *fideles etiam in his terris habere vitam æternam*, Joh. 3:36. & Joh. 5:24. Nam fides in Christum efficit, ut vitam æternam habeant, non quidem manifestam sed absconditam, 1. Joh. 3:2. sive *initialem quandam bonorum cœlestium perceptionem & gustationem.*

Hebr.

Hebr. 6: 4. 5. dicuntur φωτισθέντες, i. e. illustrati doctrinæ cœlestis cognitione, vel illuminati lumine fidei salvificæ, suavitatem Evangelii in corde percepisse, & gustum aliquem æternæ beatitudinis sensisse. Nam illud γευσαμένους *gustantes donum cœlestē, & virtutes futuri seculi*, simplicissime accipitur de πρωγύουσι seu prægustu vitæ æternæ ac beatæ, cujus scilicet virtutes hic gustantur *instar promulsidis*, ut inquit B. Gerhardus in *Epist. ad Hebr. h. l.* Ideo dicuntur *spe salvi*, Rom. 8: 24. Spe scilicet cum rei primitiis conjuncta, Rom. 14. 17. *Spes non differt à re, nisi ut pullus intra ovum, & pullus exclusus, vel ut infans intra uterum jacens & jam editus, dicit B. Danhaw. in Hodos. Phan. II. p. 1404.* Fruitio Dei consummata consistit in plenariâ & gloriosâ, omnium promissorum bonorum cœlestium possessione & indesinenti perfruitioe, seu perceptione nunquam interrumpenda, quæ in alterâ demum vitâ futura est. *Esa. 35: 10. Sap. 5: 16. 17. Apoc. 7. 17.* Præcipue Ps. 17: 15. Complectitur itaq; fruitio Dei utraq; summi boni cognitionem, dilectionem, inq; eo delectationem & quietem.

9. Hæc tria sunt argumenta persuasoria quæ Religionī γρησιως Christianæ, maximam dignitatem, majestatem, ac divinam sublimitatem, penes homines, præcipue Christianos, conciliare debent. Cum solius sit Dei optimi, *voluntatem suam hominibus patefacere, cultus sui normam præscribere, ac modum ad se perveniendi constituere*; Ideo hinc fluunt sequentia πορίσματα, quorum unum affirmans, & positivum, quatuor verò sunt negantia, seu negativa.

#### Πόρισμα I.

*Totius Religionis Christianæ, ob divinam sublimitatem, μόνον & αἰκίον, unicum, proprium, adequatum & ordinarium cognoscendi prin-*

*di principium est, divina Revelatio Sacris literis comprehensa. Deut. 4: 2. Jos. 23: 6.*

1. Est enim *divina revelatio primum & ultimum Religionis principium*, ultra quod in discursu Theologico inter Christianos non datur progressus. Omnis enim de *Religione*, dubitatio revelatione divina, in animo hominis verè Christiani, terminatur, & in eâ ita ejus fides tandem vincit, subsistit & fundatur, ut animum assentientis ab omni metu, ac suspitione deceptionis liberet & certum reddat.

2. Sed interea hic est distingvendum 1. inter *principium essendi & cognoscendi*, 2. Inter *principium conclusionum sciendarum & credendarum*. 3. Inter *principium fidei humana fallibilis, & fidei divine infallibilis*. 4. Inter *principium commune & genuinum ac proprium*. 5. Inter *conclusiones quaslibet & mere Theologicas*. 6. Inter *Revelationem generaliter & specialissime, atque specialiter acceptam*, ut non *materialiter* solum notat rem revelatam, scripturam Sacram; verum & *formaliter* actum ipsum revelationis, ut est revelatio gratiosa & peculiaris in verbo facta. Quæ dicitur vel absolute revelatio; vel cum apposito, revelatio supernaturalis, sive revelatio per spiritum Dei, Matth. 11: 25. 27. cap. 16: 17. 1. Cor. 2: 10. Estq; talis: *Revelatio est actus Divinus, quo sese Deus humano generi per verbū suum patefecit, ad sui gloriam, hominumq; salutarem informationem*. 7. Inter id quod notum est *sua natura & in se & id quod notum est nobis*. Religio *sua natura* omnibus est revelata, omnibus patet, omnibus, eam debite scrutantibus, notitiam sui communicat; verum *actu non omnibus innotescit*.

8. Religionis Christianæ principium, & rerum Credendarum, sunt non modo illa, quæ κατὰ τὸ ρητὸν, seu ἀυ-



Ἐλεγε secundum sonum & verbum, in scriptura continentur; verum & ea quæ κατὰ συνακολῆσιν, secundum rem & sensum, exinde deducuntur, per proximam, necessariam & immediatam consequentiam, ut dixit Nazianzenus: Perinde sunt ea, quæ ex scripturis colliguntur, atque ea, quæ scribuntur. Ipse Salvator disputans contra Sadduceos, de resurrectione mortuorum, Matih: 22: 31.32. consequentiis utitur ex Exod: 3: 6. Quod observandū i. contra Pontificios, qui Pontificis Romani infallibilitatem, decreta, traditiones ἀγέφυς; 2. contra Calvinianos & Photinianos, qui rationis magisteriū; 4. contra Pontificios & Novatores, qui Consensum primitivæ Ecclesiæ; 4. contra Wigelianos & Enthusiastās, qui revelationes privatas, pro Religionis principio venditant, Revelatione, in verbo Dei scripto manifestata, neglectā. Et hinc posito unico Religionis principio vero, removentur hæc quatuor falsa.

πόρισμα II.

Romani Pontificis ficta infallibilitas, decreta & definitiones; non sunt Religionis γνησίας Christianæ Principium.

I. Pontificij quatuor faciunt fidei ac Religionis principia: Verbum Dei scriptum, Traditiones ἀγέφυς, Authoritatem Consiliorum & Romanum Pontificem. Quorum primum Nos orthodoxi agnoscimus, ut verbum Dei contineatur in Scripturâ Sacrâ canonica originali, reliqua tria ut spurca & spuria rejicimus. Nam Pontifex Romanus & in persona privatâ & publicâ, quoad sententiam definitivam cathedralem è Petri cathedra; & Personaliter ut privatus Doctor, & judicialiter ut Pontifex cum cœtu Cardinalium & generali consilio; & in præmissis & in conclusione, ac definitione ipsa, & in quæstionibus factâ ac juris; in temporalibus ac spiritualibus; in particularibus, ac universalibus, seu quæ toti Ecclesiæ, è Petri ficta cathedra, credenda proponuntur,

errare, falli & fallere potest, ut *multos*, proh dolor, *sua fides in infallibilitate sefellit*. Utinam non ulterius!

2. Esto hoc principium Religionis *primum*, interim non est *primarium*, sed ipsa *Sacra Scriptura*, ad quam quoque provocat Papa, in sua auctoritate consiliorum & definitionum stabilienda. Nempe ad *Matth. 16:18. Job. 21:15-16.17*. Sed quomodo hæc probatio nauci & nihili est, dudum à nostratibus Theologis est demonstratum.

3. *Pontifex Romanus* aut definit aliquid, quod credendum sit, *præter Dei verbum* in sacris literis contentum, aut *secundum Dei verbum*; *Si præter Dei verbum*, id reprobandum & reiiciendum, juxta Dictum Gal. 1: 8. *si secundum Dei verbum*, tum creditur, non quatenus definit, sed quatenus sequitur ductum verbi divini, quod etiam de alio quovis Episcopo ac Pastore dici potest; nec decreta ejus principii vicem obtinebunt, siquidem è scripturis, ceu unico principio, eadem deduci oportebat, cum alias vera censerentur nequeant. *Ad scripturas fit ultima resolutio Theologici discursus in Religione*, inquit *Petrus de Aliaco*, *& ex illis primo singula controversie religionis deducuntur*.

4. Principium fidei suæ, & summam totius Christianæ Religionis, superstruunt Papistæ dicto Christi *Matth. 16:18. Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*. Resp. distinguendo inter *Petrum*, & *petram*. Πέτρος ex usu Græcæ lingvæ significat *parvum lapidem*; Cujusmodi *περσίδες* i.e. pugillares, quibus aliquis percuti potest, *Homero* nuncupantur; Πέτρα verò significat *ingentem rupem*, cui aliquid superstrui potest. Super Πέτραν, quæ *Christus erat*, 1. Cor: 10: 4. vel confessio, *Petri de Christo*, ædificavit *Salvator Ecclesiam*, non super πέτρον, quia portæ inferorum, cum Christum abnegavit, adversus ipsum prævaluis-

valuissent. Sensus est: Tu es πέτρος ἢ πέτρα, quam confes-  
 sus es, & super qua tanquam lapis vivus es πεπεσσωμένον, de-  
 nominatus, & super hac ipsa πέτρα, quam confessus es, edifica-  
 bo Ecclesiam meam, & contra eam Petram, nec Ecclesiam ei su-  
 perstructam, quatenus Petra adheret, Porta inferorum non pra-  
 valebunt. Licet dicitur cephias, Syriac. capha, quod est com-  
 munis generis, interim non in genere foeminino, quod est Pe-  
 tra Christus; Sed Masculino, quod est persona Petrus, ut expli-  
 cat ipse Iesus, Job. 1: 42. Petro dicens: οὐ κληθήσῃ κηφᾶς, ὁ  
 ἐρμηνεύεται πέτρος. 2. *ding. inter Petrum, & fictitios Petri*  
*successores.* 3. *Inter Cathedram Matth. 23: 2. localem & vocalem*  
*seu doctrinalem.* 4. *Inter praeogativam personalem, Job. 21: 15.*  
*& itidem Doctrinalem omnibus Apostolis atque Ecclesia Ministris*  
*communem.* Act. 20: 28. 1. Pet. 5: 1. habuit Petrus ratione suae  
 Personae, aliquam praeogativam, respectu senii, ordinis,  
 fervoris, Christi amoris, & tanquam os Apostolorum,  
 interdum; interim non ratione officii, dignitatis, aut potesta-  
 tis Archipastoralis, ut volunt pontificii. 4. *Disting. inter Pri-*  
*villegium Personale seu speciale, atq; commune seu generale.* Luc.  
 22: 32. non rogavit Christus de Petri infallibilitate, aut  
 ut non caderet; sed de non finali ἢ fide defectione, sicut  
 & paulò post oravit pro perseverantiâ omnium Aposto-  
 lorum, Joh. 17. ergo nè omnes Apostoli fuerunt Ponti-  
 fices Romani? absurdum, nam: Nulla veritatis specie, Ro-  
 mani Pontifices, absolutum infallibilitatis Privilegium,  
 sibi vendicant, ex successione in Petri cathedrâ; cum  
 nondum probatum sit, ejusmodi successionem, in Novo  
 Testamento, ἢ Christo institutam, aut Petrum Romæ fu-  
 isse Episcopum. Imo nullus sacrae scripturae locus est,  
 ex quo constat, Petrum unquam Romæ fuisse. Nec ha-  
 buerunt Apostoli fixas sedes episcopales, in eo enim ab

Episcopis distingvuntur quoq; ab ipsis Pontificiis. 5. *Disting. inter ipsam Ecclesiam, seu totum cœtum fidelium, Doctores simul & Auditores complectentem, & inter unum Doctorem vel etiam plures Doctores simul sumptos: Promissio infallibilis assistentiæ, & directionis S. Sancti, à Christo facta, pro subjecto ð cui habet totam Ecclesiam, non unum Doctorem videlicet Pontificem Romanum, nec Doctores simul sumptos aut ipsam Synagogam Romanam.*

Πόρισμα III.

*Nec Ratio humana seu naturalis, Religionis γνησίως Christianæ, principium est.*

1. Nam tanta est Religionis sublimitas, ut humano ingenio excogitari ac inveniri non potuerit, cum sit altioris & divinius originis, & *Mysteria fidei sunt doctissimis Ethnicis & ἄδοξα, stulta & impossibilia visa, 1. Cor. 2: 14. 1. Cor. 1: 20. 21.*
2. Obstat rationis cœcitas, *mysteria fidei ignorans. Esa. 55: 8. Matth. 11: 27. Gal. 4: 8. est enim ratio vanitate, erroribus, & tenebris implicata & obfuscata, Psal. 62: 10. circa legem divinam cœcutit, Eph. 4: 17. 18. Rom. 1. 21. 22. 23. Circa Evangelium planè cœca, mera tenebræ, tenebræ autem nequeunt recte judicare de luce & lumine, 1. Cor. 1: 18. Job. 1: 5. Eph. 5: 8. & per corruptionem naturalem, ad percipienda religionis mysteria, prorsus inepta & inhabilis. 1. Cor. 2: 15.*

3. *Est exemplorum nullitas.* Nullum exemplum nec mandatum, habemus in tota sacra scriptura, quod ad Principium rationis nos remittit, in rebus fidei finiendis, sed potius ratione contradicente, pij crediderunt, ut *Abraham, Rom: 4: 18. qui contra spem (rationis orbitatem dictitantis) sub spe (Dei promittentis) credidit, se fore Patrem multarum Gentium. Item: 2. Reg. 5: 10. 11. 13. 14. Gal. 1: 15. 16.*

4. *Est sequela rationis periculositas.* Qui rationis judicium

um in rebus fidei secuti, vel errarunt gravissimè ut *Nicodemus*, *Job. 3. 4. 9.* *Christi Discipuli*, *Matth. 16. 22. 23. cap. 20: 21. Job. 20: 25. Act. 1: 6.* aut perierunt miserrimè, *2. Reg. 7: 2. 17.*

5. Quod tenendum i contra *Scholasticos*, quorum tota *Theologia*, iudice *Erasmio* in encomio *Moriæ*, ex *divinis eloquiis*, & *Philosophicis rationibus*, tanquam ex *centaurorum genere*, *biformis mixtione quâdam est conflata disciplina.* 2. contra *Pontificios* & *Jesuitas*, haud rarò articulos fidei è *rationis Principio* probantes. 3. contra *Calvinianos* nimium *Philosophiæ* tribuentes. 4. contra *Socinianos*. 5. contra *Arminianos*: Quorum *Axioma*: *Nihil in Theologia verum est, quod à ratione non approbatur.* Item: *Nihil credi potest, quod à ratione capi & intelligi nequeat.* 6. contra *Cartesium* & *Cartesianos*, quorum hi *flosculi*: *Ex solâ scriptura lectione, ne unius quidem rei perfectam scientiam addisci, nec ullam ideam claram, distinctamq; inde acquiri, nec falsam ac perversam corrigi.* Item: *Scripturam indigere Philosophicâ expositione, ne falsa censeatur referre.* Unde hæ *Theses*: 1. *Philosophiæ & Theologiæ non ancillatur.* 2. *Certitudo eadem est sive ex ratione, sive ex scripturâ oriatur.* 7. contra *Weigilianos*, qui *lumen naturæ & Philosophiam principium religionis* faciunt.

6. Verum nos distingvimus 1. *Inter rationem hominis ante lapsum & post lapsum.* 2. *ut ratio est subiectum informationis; atq; norma & principium probationis.* 3. *inter principia organica, & philosophica strictè dicta.* 4. *Inter principia generalia seu transcendentalia, & specialia seu particularia.* 5. *Inter adhibitionem principiorum philosophicorum, in questionibus mixtis illustrationis aut secundariæ probationis gratiâ; atq; decisionis & demonstrationis causâ.* 6. *Inter rationis ministerium, & magisterium.* 7. *Inter rationem consideratam in opibus divine Revelationis, & in opibus suis propriis.* 8. *Inter rationem*

castigatam & è Sacra Scriptura illustratam, atq; solutam & sibi relictam. 9. Inter iudicium rationis illuminatum, & iudicium rationis naturale. Priora membra sano sensu suscipimus, posteriora rejicimus.

7. Breviter: *Disting. inter judicantem & inter normam, ac regulam, iudicii, de Mysteriis fidei nostra & religionis faciendi.* Homo debet quidem de ijs iudicare, 1. Cor. 10: 15. Ast norma illius iudicii non sit ratio nostra, sed una & sola sacra scriptura Prophetica & Apostolica: *Fides enim nostra non est ἐν σοφίᾳ ἀνθρώπων, sed in potentiâ Dei, 1. Cor. 2: 5. utpote quæ non est Πιστήμη Φιλοσοφική, sed σύνεσις καὶ σοφία πνευμαλική, Col. 1: 9.*

#### Πῶς IV.

*Nec etiam Consensus primitive Ecclesie, aut Patrum quinque priorum post Christum seculorum, principium Christiane Religionis est, sive primum, sive secundarium, nec divinam, sed tantum humanam & probabilem fidem, gignit.*

1. Est enim hæc locutio, consensus antiquitatis est Principium dogmatum fidei & religionis, 1. nova. 2. falsa. 3. absurda. 4. antiquitati ignota. 5. à majoribus improbata. 6. Nullis divinis auctoritatibus nixa.

2. Principium scientie, propriè loquendo, 1. Coævum est ad minimum ipsi scientie. At consensus antiquitatis quinque secularis, longe posterior est ipsa scientia rerum divinarum. 2. Principium ad minimum ejusdem est auctoritatis, cujus est ipsa scientia, & dogmata inde probanda; jam vero consensus antiquitatis non est ejus auctoritatis, cujus sunt articuli fidei, hos credimus fide divinâ, illum fide humanâ.

3. hinc requisita Principii huic consensui Patrum non convenit, ut sunt: 1. *Infallibilitas*, tum quia singuli Patres fuerunt homines, qui fallere & falli potuerunt, tum quia simul

simul sumptorum infallibilitas non potest demonstrari à priori, hoc est, ex rei naturâ, neque à posteriori sive à promissione aliqua divinâ, ita ut, in se si non sint infallibiles, tales futuri essent propter peculiarem Dei promissionem, aut talis promissio nullis est divinis tabulis insignita. *Si Patres singuli*, inquit *Doct. Danhav. in Christeid. pag. 269. ibi, ubi errari solet, nati, ac hallucinationis periculo obnoxij, quo privilegio cautum univèrsis, positus maximè errorum causis, ut sunt ignorantia Lingvarum præsertim Ebrææ, securitas sequendi, commixtio philosophiæ profanæ. Sc. 2. Non invariabilitas*, Patrum scripta enim sibi non constant, nam sæpè à se invicem dissentiunt, haud raro sibi ipsis contradicunt, etiam quandoq; ante mota certamina securius loquuntur.

3. *Non univèrsalitas*, non enim haberi potuit ille consensus, omni tempore & ubiq; locorum. 4. *Non prioritas*, posterior enim est ipsis fidei dogmatibus. 5. nec deniq; ab errore immunitas, Patres enim non fuère tuti ab errore, sed in multis de facto errârunt, & quisque eorum suos habuit nævos; unica Sacra Scriptura illud habet privilegium, ut sit ab omni errore immunis.

4. *Disting. inter principia κατ' ἀνθρώπων, ad hominem & κατ' ἀλήθειαν, ad rem simpliciter probandâ & demonstrandam.* 2. *Inter principium cujuscunq; conclusionis Theologiæ, (qualia sunt omnes præmissæ in syllogismo) & principium simpliciter ipsius Theologiæ, Religionis & fidei, seu rerum credendarum.* 3. *Inter verbum Dei in Patrum scriptis repetitum & è Sacra Scriptura deductum; atq; consensum Patrum quinq; priorum Sæculorum, an is sit Religionis Principium.* 4. *Inter consensum Patrum magnificandum & ut pro principio Religionis habendum.* 5. *Inter fidei motivum & ipsum fidei principium proprie dictum. inter motiva fidei, sive principia commoventia (quæ*  
Sci-

31  
 scilicet inducunt hominem, v.g. Ethnicum, Judæum &c. ad credendum ) consensus ille patristicus collocari potest circa divinam veritatem, nequaquam vero admittendus ad fastigium & dignitatem principij, etiam secundarij, quale respuit fides nostra, quæ solis revelationibus, divinis acquiescit, inquit B.D. Dorscheus in jud. Th. Cont. Lat. Sect. 3. c. 1. p. 49. 6. Inter adhibere consensum ut Testimoniũ & ut fidei Principium. Etiam si nostri Doctores adhibent antiqua symbola, conciliorum canones, & Patrum dicta, in decidendis controversiis Theologicis; tamen id faciunt, non loco principii, verum testimonii; non ut inde articulos fidei infallibiliter probent, sed ut adversarios, eos negantes, fortius confringant. 7. Distingv. inter utilitatem hujus consensus in Sacræ Scripturæ expositione, sententiæ nostræ confirmatione, ac novitatis amolitione, & inter necessitatem credendorum demonstrandam & propugnandam. Priora membra affirmamus, posteriora v. negamus.

5. Quod observandum 1. contra Pontificios asserentes: Patrum concordem sententiam, pro infallibili norma fidei & religionis, ab omnibus habendam esse. Sic enim dicit Gregorius de Valentia, lib. 8. anal. Cath. Fid. cap. 8. in definiendis controversijs fidei, concordis etiam sententiæ Patrum, sive Doctorum omnium idcirco haberi ratio debet, quia, quod illi unanimi consensu circa religionem tradunt, infallibiliter verum est. 2. contra crypto-Pontificios Laudenses in Angliâ, à Gwilhelmo Laud, Episcopo cantuariensi, propter collusionem cum pontificijs decollato, descendentes. 3. Contra Novatores, Calixtum, Horneium, Drejerum, Latermannum, aliosq; duo religionis facientes Principia, unum primarium Sacram Scripturam, alterum Secundarium, nempe Catholicum primitivæ Ecclesiæ, & quidem quinque priorum post Christum seculorum, consensus.

Ast



6. Ast non mirum Pontificios eorumq; *Affectas* tanti facere consensum Patrum, aliaq; falsa sua religionis principia, cum valde parvi pendeant ipsam Sacram Scripturam, detrudendo eam non solum infra hæcce ficta principia; verum etiam infra ipsa scripta Sibyllina. Non enim absq; summâ injuriâ in Spiritum Sanctum, sacratissimumq; ipsius verbum, cum non vereatur *Bellarminus* scribere, lib. I. de Christo c. 2. citante B. D. Calovio, *Sibyllas multa clariorum prædixisse de Christo & rebus futuris, quam ullus Prophetarum.* Quod, data ex hac occasione, attinet *Sibyllas*, dictas à *Deorum consiliis enunciandis*, Dialecto enim *Æolica* θεὸς dictus εὐσιός, *Attica* verò Σιών & Βυλὴ Βύλη, unde Σίβυλλα quasi θεοβύλη, *Dei consiliaria in Deorum oracula proferenda*: Tum dicendum, quod cum *Bellarmino* aliisque nec in excessu eis adeo nimium tribuendum. Sic quoq; dicit *Diodorus*: *sunt Sibyllæ vates Deo plene.* Nec credibile quod dicit *Sibylla* tertio orac. sibyl. *Se nulum Nobæ fuisse cumq; eo ex diluvio evasisse, ac Babylonem profectam perq; Graciam vaticinatam*, & sic putant quidam illam solam fuisse non plures. Nam huic opinioni opponenda incredibilis ejusdem *Sibyllæ* longævitas, sese à diluvio, usq; ad tempora harum vatum ultima, extendens ad 1770 Annos, quos nec attigerit ipse *Methuselah Gen: 5: 27.* Nec in defectu neganda sunt omnia de *Sibyllis* allata, cum *Socino* aliisque, ut fabulosa & à Christianis conficta ad convincendos gentiles; *Sed media ingredienda est via & amplectenda sententia*, nempe nec omnia ficta, nec omnia statuenda esse vera, quæ sub earum nomine adducuntur. Nam I. *Sibyllas* fuisse, ante Christi nativitatem *Prophetissas Gentilium celeberrimas, mulieres fatidicas & carmina edidisse celebria, vera & genuina, de rebus naturalibus, moralibus, quibusdam mysteriis fidei & futuris rebus,*

distinctis ætatibus, distinctis in locis, constans est de  
 eis Scriptorum, Historicorum Christianorum & Gen-  
 tilium, testificatio ac unanimis consensus. Quæ my-  
 steria quædam fidei, vaticinia & oracula potuissent ha-  
 bere Sibyllæ partim 1. Vel è *conversazione cum Ebreis*; vel  
 ex eorum traditione; vel Bibliorum Vet. Test. lectione,  
 cum sacra volumina ante Persarum imperia, & Alexan-  
 drum Magnum, traducta fuerint. Unde Pythagoram &  
 Platonem in multis legem Mosis secutos esse, testantur  
 per plurimi Patres. Partim 2. è *demonis instinctu, dicta-  
 mine & suggestione*, cui nec mysteria fidei, nec oracula Pro-  
 phetarum de Messia ignota fuerunt, quæ vatibus suis,  
 hisce Sibyllis, inspirare ac patefacere potuit, ad eluden-  
 dam, vel pervertendam doctrinam Propheticam, atq; ad  
 auctoritatem suis oraculis ac diabolicis Præstigiis conci-  
 liandam. Partim, 3. *deniq; è divino afflatu ac extraordinaria  
 inspiratione*, quâ perculsi interdum etiam reprobi, ut *Bile-  
 am: Num. 22: 23. 24. Per cuius & Asinam ut animal brutum Deus  
 loquitur, Num. 22: 28. Caiphas Job. 11: 49. 50. 51.* Nec incon-  
 grue creditur, suffragante Aug. lib. 18. de Civit. Dei c. 47.  
*fuisse & in aliis Gentibus homines, quibus mysteria revelata,  
 & qui hæc etiam prædicere, impulsæ sunt.* Sic Virgilius Eclog. 4.  
 canit è Sibyllicis carminibus, *de Puerò nascituro ex virgine,  
 qui toti orbi imperaturus esset, deleturus hominum peccata, ser-  
 pentem occisurus & sæculum aureum reducturus.* Interim 2. non  
 omnia quæ nomen *Sibyllarum* præ se ferunt, ut perspicua  
 & luculenta vaticinia, de particularibus miraculis *Christi*, de  
 ejusdem in his terris actibus, ac circumstantiis *Passionis*  
 & reliquis, sunt fæctus genuini *Sibyllarum*; sed sunt mo-  
 re Sibyllino à *Christianis*, ex historia Evangelistarum, com-  
 posita pia carmina, ad convincendos Gentiles. Non enim  
 veri-

verisimile est, revelata fuisse Gentilibus, & abscondita Judæis Populo Dei electo, ac imprimis Prophetis viris Dei selectis. Si jam *Bellarminus* intelligat hæc *Sibyllas Christianas*, concedimus ei, ea clariora esse quæ sunt in complemento, apud *Evangelistas*, quam ea quæ fuere in vaticinio apud *Prophetas*. Sin vero intendat *Sibyllas gentiles*, opponimus ei Authoritatem *Augustini* ex lib. 18. de civitate Dei, c. 47. *Nihil est firmitus ad convincendos quoslibet alienos, si de hac re contenderint, nostrosque fulciendos, si rectè sapuerint, quam ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt codicibus, quibus avulsis de sedibus propriis, & propter hoc testimonium toto orbe dispersis, Christi undiquaque erudit Ecclesia.* Probat enim scriptura Prophetica à priori, convictivè & persuasivè; scripta vero Sibyllina à posteriori, loco testimonii, inductivè & svasivè. Nec opus est ejusmodi incertis documentis, ad fidei veritatem confirmandam, quæ nobis quam certissima constare potest, ex immoto religionis principio, verbo Dei θεοπνεύτω, in ipsa sacra scriptura contento.

Πόρισμα V.

*Nec denique Peculiares Enthusiasti, privata revelationes, visiones, apparitiones, interna alloquia angelica, sunt principium Religionis γνησίας Christiana.*

1. Ἐνθουσιασµὸς vel ἐνθουσίασις est in genere & formaliter afflatus divinus; materialiter verò objective ac terminative, est vis per hunc afflatum communicata. ἐνθουσιᾶν est ὑπὸ πνεύματι ἐνθὺς κατέχεομαι. Inde hi fanatici spiritus dicebantur Enthusiastæ, ἐνθουσιαζόμενοι, ἐνθουσιῶντες, ἐνθεοί, θεόφοροι, θεοφορέμενοι, πνευματόφοροι, item θεόληποι, &c. de quibus dictum pag. 14. Thef. 3. Quem errorem ex orco revocaverunt *Thomas Munizerus*, seditiosus Ana-

baptistarum antefignanus superiori seculo, in Thuringia, *Casspar à Schvenckfeld* in Silesia, *Theophrastus Paracelsus* in Helvetia, *Coppinus & Quintinus* in Piccardiâ, *Valentinus Weigilius* in Misnia, hi omnes raptus peculiare, enthusiasmos, revelationes, somnia, colloquium extra Scripturam immediatum cum Deo, alloquia angelica sibi finxerunt, secundum quæ ipsa, dogmata fidei definienda, regimen Ecclesiæ, Politicæ & OEconomix instituendum, ac vitæ actiones menlurandæ, censuere, Sacræ Scripturæ vero discipulos *διαλογητικῶς vocalistas & literalistas* vocavere. His annumerandi *Fratres rosea crucis, Novelli Propheta, Quæckeri & Tremulantes*, blandè raptus divinos & revelationes immediatas somniantes. *Jean*, teste *Kippingio, de Labadie* publicè gloriosus est, de revelationibus cælestibus, colloquijs cum beatis Sanctis, atq; *B. Virginis Mariae* apparitionibus, inter orandum sibi factis. *Ipsius Affecta*, Deum immediatè agere, sepe sine verbo cum fidelibus, asserunt, ac proinde ad internas spiritus revelationes confugiendum, seduloq; attendendum, moment. Ita & *Schurmannia* *εὐχλ.* pag. 80 probare conatur: præter Scripturam dari bodieq; Prophetiam dogmaticam & internas revelationes. Hisce adde *Papistas*, revelationes *Birgittæ, Catharinæ &c.* principium fidei agnoscetes, item *Socinianos & quosdam Calvinianos*, ut *Carolstadium*, qui relicto officio publico *Witeberge*, clandestinis visionariis sese adiunxit; *Zvinglium*, sibi peculiariter revelatum per spiritum, (qui procul dubio fuit ater & niger) jactitantem, voculam EST, in verbis cæna, positam esse pro significat.

2. Verum ejusmodi Phantasmata, raptus & visiones, sunt  
 1. Verbo Dei scripto Contraria, 2. Scripturam Sacram arguunt in sufficientia, inconstantia, & nullius efficacia, 3. Nullibi à Deo promissa, 4. Fidei incerta, 5. Obscura, 6. Dubia, 7. Suspecta, 8. Absurda, 9. Fallacia plena, 10. Periculosa, 11. Non necessaria, 12. Præstigij

*Figis & Indibrijs Satanae obnoxia, 13. Aliorum iudicio subiecta, 1. Cor: 14: 29. 32. 14. Confusionis & omnis ἀταξίας cause: Nam, hinc convellitur 1. Ordo Ministerii, inter docentes & discipulos, divinitus in Ecclesia sancitus; 2. Confunduntur gradus in Ecclesia Christiana instituti honoris, officii, magistratus & dignitatis; 3. Evertitur ἀσφάλεια fidei; 4. Porta aperitur quibusdam planis, impostoribus, eorumque hæresibus & erroribus; 15. Sunt utriusque Testamenti confessoria. Nam: in Veteri Testamento πολυμερῶς καὶ ποικιλόπως, per somnia, visiones & apparitiones, Deus sese revelavit; novissime verò, in Novo Testamento, locutus est nobis per Filium in carne manifestatum ejusque Apostolos, abrogatis variis veteris Fœderis revelationibus ulterius non expectandis. Ebr. 1: 1. 16. Sunt verbo Dei expresse prohibita: Wæ Prophetis insipientibus, qui spiritum suum sequuntur. Esch. 13: 3. Ergo pro principio religionis, aut regula credendorum & faciendorum haberi nequeunt.*

3. Angeli illi, quos somniant hi *Phantasta*, aut proferunt idem quod habetur in verbo Dei, aut aliud diversum; si illud, non opus est eorum patefactione, ob sufficientiam verbi Dei; sin hoc, non sunt audiendi, Gal: 1. 8. ubi ne Angelo quidem è Cælo, aliud Evangelium annuncianti, credendum esse edicitur.

4. Distingvimus inter ἐνθουσιασμόν seu *afflatum verum*, verbo Dei conjunctum, atque apparentem hominum fanaticorum; qui est vel *fictus*, vel *presumptus*; vel Diabolicas, vel Melancholicas, vel voluntarias illusiones & imaginationes, divinas revelationes vocando, se aliosque decipientium.

2. Disting. inter *Dei potestatem & voluntatem*, quod possit Deus revelationes dare nemo negat, sed an velit dubitatur.

3. Disting. inter *Dei voluntatem revelatam & absconditam*; Illa e verbo Dei scripto unice æstimanda; de hac quia nos

latet, certi quid pronunciari non potest. 4. Disting. inter *revelationem immediatam*, quam somniant Phantastæ, atq; *mediatam* & Spiritus Sancti per verbum cooperationem, quam nos concedimus. 5. 1. Thessal: 5: 19. 20. Non intelligitur *Spiritus fanaticus*, sed *Spiritus Sancti* in cordibus fidelium accensi *motus*, qui instar sacri ignis semper sunt fovendi, ne extingvantur, sed debeant semper ἀναζωπυρεῖσθαι. 2. Tim: 1: 6. Nec per *Prophetias* intelliguntur ἰδυσιασμοί, sed vel *objective* scripta Prophetica; vel *instrumentaliter* eorum explicatio & applicatio, sive *ex dono singulari*. 1. Cor. 12: 8 & 14. sive *ex dono Communi & Ordinario Rom: 12: 6.*

remotis ergo quæ vortitur, ab Heterodoxis confictis, falsisq; principiis Religionis, ejus *divina sublimitas, majestas & dignitas*, servatur ac salvatur in unico, sibi soli & semper convenienti *principio, divina revelatione*. Unde imponimus clausulam huic primæ affectioni, verbis Tertulliani adv. Hermog. c. 22. *Si non est scriptum, timeat va illud adycentibus & detrahentibus destinatum Gal: 1: 8.* Nam 2. Tim: 3: 16. 17. *docetur S. Scriptura perfectio, & ὀλικὴ utilitas, ad omnes usus, tum Theoreticos tum practicos; adeoq; sufficientia ad fidem & vitam dirigendam.*

#### THESIS IX.

*Unitas est affectio Religionis, quæ in se est indivisa, atq; ab ἰδελοθρησκεία seu religione falsa, cultu arbitrario & electio divisa.*

1. *Ratio formalis* hujus affectionis consistit tum in *indivisione religionis*, non quidem *accidentali*, quoad loca & personas, Deum ubique locorum religiosè colentes; verum *essentiali*, quoad *indivisionem essentie* religionis, ostendentis unam eandemq; viam & rationem Deum colendi, adq; eundem perveniendi; tum *in divisione* ab Ethnicismo, Judaismo, Turcismo, Hæreticismo, atq; quovis cultu electio

lectitio, in toto terrarum orbe. *Multa quidem dantur religiones falsæ: At religio vera non est nisi unica, quæ sola propriè est religio, aliæ non sunt, sed dicuntur tantum esse, sicut etiam non sunt sed dicuntur multi Dii, 2. Cor: 8: 5. inquit B. D. Calovius syst. Tom. 1. p. 96. De ipsâ ἐθελοθρησκεία, & superstitione ab hominibus ingenii sui fiduciâ excogitatâ, Colof: 2: 22. agendum, bono cum Deo, circa religionis opposita; præsentis verò considerationis est ipsa religionis unitas, quam commendat ipse Apostolus Paulus ad Ephes: 4: v. 4. 5. 6. Unum corpus & unus spiritus, quemadmodum & vocati estis in unâ spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium.*

2. Ex quo dicto classico emergit quadruplex religionis unitas, nempe (a) *Originalis*, (b) *Fundamentalis*, (c) *Formalis* & (d) *Finalis*.

*Unitas (a) Originalis* est, quod fit ab uno Deo, Patre, Filio & Spiritu Sancto. *Ut enim unus Deus, ita etiam unica religio, unica via revelata ad Deum perveniendi, nec alia esse potest, quam quæ ab ipso fuit ostensa, dicit Doct. Osiand. syst. Theol. par. 1. exer. 4. p. 55. Dei quoq; ut una est voluntas, nec sibi contraria: ita & religio ab ipso patefacta est una, sibi per omnia correspondens, Mat: 3: 6. Et si in rebus humanis inconstantia & varietas malè audit, quantò magis in divinis? Ose: 11: 9. 1. Pet: 1: 25. Religio namq; nostra ὑποτίως Christiana, avocatur homines ab omnibus Creaturis, illos docendo nullum esse in caducis præsidium, mentesq; simul sublimando & evehendo, ad unicum illud summum bonum, Deum ter optimum maximum, cordis humani unicum centrum, in quo tandem unicè ac placidè acquiescit.*

*Unitas (b) fundamentalis, quâ unico Domino Ephes: 4: 5. Christo Jesu tanquam fundamento, ipsa religio innixa, uniformiter*

*miter, per omnes temporum periodos Vet. & Novi Testam. triumphavit. Est enim unum, in utroq; Testamento, fundamentum, unus lapis angularis, Ephes. 2: 20. unum caput. Colof: 1:17, 18. Ephes. 4: 15. 16. Hof: 1: 11. Unus Mediator, 1. Tim: 2: 5. ad Ebr: 8: 6. dicitur Christus melior Mediator ipso Mose, non quod Moses Mediator fuit, id enim est ipse Christus Jesus in utroq; Testamento, sed fuit minister per quem lex lata, Job: 1: 17. Et licet multi egregii Theologi, ut D. Hutterus, D. Köning, D. Winkelmannus, D. Brochmannus, D. Balduinus, voce μεσίτης Gal: 3: 19. seu mediatoris, Mose tributa nihil aliud velint, quam fuisse Mosen Ministrum, internuncium, interpretem & Pnaconem, quantum vocem Dei præsentis auribus, & Tabulas legis, manibus suis à Deo accepit & ad Populum detulit, quo sensu inquit B. Meisn. Anthropol. dec. 3. Disp. 25. num. 44. Moses, Gal: 3: 19. Mediator dicitur ob interpretandi officium, sed Christus imprimis ob satisfaciendi beneficiū; ita D. Kunadus in h. l. inquit: Moses est Mediator rationarius, qui tabulas debitorum confecit, Christus vero est vadimonialis & λυτρωτής, qui debitum illud pro nobis solvit; alii: Christus est μεσίτης ἰλαστικός καὶ λυτρωτής, Moses est Mediator legalis & typicus, quantum ad officium Christi propheticum; Interim tamen, sunt tanta tantorum Theologorum judicia, ut fidei analogia, Rom: 12: 6. maximo in pretio, & propter Pontificios Christum solum secundum humanam naturam, non vero divinam esse nostrum mediatorem, & Socinianos avidè hæc arripientes, à voce Mediatoris, quando de Mosis ministerio hoc loco agimus, studiosè est abstinendum, & ipsi Christo tribuendum, monente ipso celeberrimo Doct. And. Qvenstedio, part. 4. Theol. Did. pol. c. 7. p. 260. Cui sententiæ suffragantur quoq; ut dicit laudatus Author, p. 259. Athanasius, Chryostomus, Theophyl: OEcumenius, Hieron. Ambros. August. Beda, Beatus Lutherus & multi recentiores, quorum sensus*



sensus est, ἐν χειρὶ μεσίτης, Gal: 3: 19. In manu i. e. autoritate & potentia ipsius Christi, unius illius, in utroq; Testamento, Dei & hominum Mediatoris 1. Tim: 2: 5. lex ordinata est per Angelos. Juxta hanc expositionem, perguit ipse D. Quesf. emphaticè dicit Apostolus, ἐν χειρὶ μεσίτης, non dicit in manu Christi, aut Filii Dei, siquidem voluit hoc vocabulo officium Christi simul depingere, quod scilicet ille in manu sua, ut Dominus legem proferens, se vadem interposuerit, quod in plenitudine temporis etiam legem pro nobis impleturus, & nos ab ejus maledictione liberaturus sit, ait D. Feurbornius, com. in Epist. ad Gal. ad h. l. Ad rationes in contrarium allatas respondent, & quidem ad (1.) in manu, non semper causam instrumentalem, Exod: 9: 35. Psal: 77: 21. Mal. 1: 1. Sed & aliquando primariam precipientem principalem significare, ut 2. Sam. 14: 16. 1. Reg: 18: 46. ita hic loci, Gal: 3: 19. (2.) Apostolum ad Ebr. 8: 6. quidem Christum melioris fœderis Mediatorem nominare, non tamen negare, in veteri Testamento, eundem Mediatorem fuisse. (3.) licet lex lata per Moysen ut Ministrum Act: 7: 38. illud tamen non obstat, quo minus dicatur data auctoritate Filii Dei. Imprimis urgent vocem μεσίτης, cum de Mediatore inter Deum & homines agitur, nusquam in sacris literis de alio, quam de Christo adhibitam esse, huncq; unum dici μεσίτην, Mediatorem Dei & hominum, 1. Tim: 2: 5. non ergo temere alium admittendum, vel quod uni Christo proprium est, aliis adscribendum esse. Hic enim, non alius, reconciliavit unice partes dissidentes per interventum λύτης, cujus Mediationis redemptoriæ fundamentum est, infinitus ejus valor atq; omnipotens vis & efficacia. Esai 63: 3. 4. 5. 6. Collos. 1. 20. 1. Tim. 2. 6.

Unitas (c) formalis est vel externa, quâ vera religio proponit unam fidem, unum baptisma, Ephes. 4: 5. docendo unitatem

tatem verbi & Sacramentorum in Ecclesiâ, 1. Joh: 5: 8. conspirante in unâ eademq; hæcce doctrinâ, *cujus omnia dogmata tam egregie conspirant, ut moduli in musica, ita coherent, ut annuli in catenâ, ita concinnata sunt, ut lapides in edificio unico fundamento superstructi*, inquit D. Osiand. loco antea citato; Vel interna fluens è priori, unde fideles unam hanc religionem amplectentes, per verbum unum & Sacramenta eadem, uniuntur in unum corpus mysticum. *Prior unitas constituit Ecclesiam visibilem*, in quâ boni sunt & mali, quibus ambobus unica hæc vera proponitur religio, verum cum dispari eventu; Lucæ: 8: à v. 5. ad 16. *posterior verò Ecclesiam invisibilem, omnes vos eis esse unus estis in Christo Jesu. Gal: 3: 28. Ephes: 4: 4. ἐν σῶμα, καὶ ἐν πνεῦμα, Unum corpus, in unione membrorum Ecclesiæ, tum cum Christo capite, tum inter sese per unum Spiritum Sanctum, tanquam spirituale vinculum, unitum.*

Quod vinculum est vel principale, ipse Spiritus Sanctus, habitans in Christo & in nobis, 1. Job: 3: 24. Sicut in corpore humano, omnia membra per spiritum sive animam ita uniuntur & copulantur, ut ex illis unum corpus fiat: ita etiam omnes fideles ita copulantur, per Spiritum Sanctum cum Christo & inter se, ut sint unum corpus, & Christus caput ejus, 1. Cor: 12: 13. Et sicut Spiritus Sanctus est vinculum substantiale, inter Patrem & Filium in benedicta Trinitate, ita quoque est vinculum spirituale inter Deum & credentes, Ephes: 1: 13. 2. Cor: 1: 22. Vel est vinculum instrumentale, nempe fides in Christum, cum quâ indiviso nexu charitas conjuncta, & utraque à Spiritu Sancto procreata. De fide Ephes: 3: 17. Gal: 2: 20. de charitate 1. Job. 4. 16. Sicut enim conjuges carnaliter copulati, per fidem & Charitatem conjugalem, unum sunt: ita qui Domino adhaeret, fide & charitate,

tate, est unus spiritus cum ipso, 1. Cor: 6: 17. Hof: 2: 20. charitas est quoque vinculum, homines fideles convinciens inter sese, Col: 3: 14. ut enim vinculum partes diversas & divisas inter se constringit, & constrictas conservat: ita charitas diversa Ecclesiæ membra inter se conjungit & unit. Unde *charitas* dicitur Gregorio *chara unitas*. Ex quibus dispalescit, hominum Piorum & religiosè Deum colentium, summa dignitas & beatitudo, *ex hac enim unione mysticà oritur, inter eos & Deum Communio*. Nam sicut in Christo, inter duas *θεανθρώπων* naturas, *ex unione personali, tria genera Communicationis idiomatum oriuntur*; ita quoq̄, *ex unione mysticà & spirituali, hæc tria eliciuntur, nempe* I. *ιδιομιμία appropriatio, quâ Christus Passiones nostras sibi appropriat, Act: 9: 4. 5. Psal: 68: 2. II. μεταποίησις, evectio & Communicatio, quâ nos reges facit & Sacerdotes, Apoc: 1: 6. III. Κοινωνία operatio, quâ in nobis & per nos operatur, Phil: 4: 13. I. Job: 5: 4. Job: 16: 33. Rom: 16: 20. Interim hæc Communio ultra sphaeram suam non est extendenda, sed quædam analogia saltim piè & religiosè observanda.*

*Unitas* (d) *Finalis*, qua pollicetur religio *unam vitam eternã*, Ephes: 4: 4. *ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν, vocati estis in una spe vocationis vestre*, ideo unanimiter in Symbolo Apostolico, vitam æternam ultimò speramus & credimus.

Unde patet Religionem esse unam, quia ab uno Deo, sub uno *fundamento Christo*, in uno *Spiritu & fidei dogmate*, per unum *verbum*, principium religionis *normativum*, ad unum finem, ducendo ad *salutem & vitam æternam*. Ex hisce iam dictis & annotatis sequentia fluunt *πορίσματα*.

Πόρισμα I.

*Una eademq̄ est, in Veteri ac novo Testamento, quoad substantiam, Religio.*

I. Corollarium hocce, *Th. II. p. 6. & 7.* antea fufius tactū, fequentia nunc confirmabunt Argumenta, quorum:

I. Est *Sacra Scriptura dictorum infallibilitas*, ut *Act. 4. 12. cap: 10: 43. cap: 15: 11. Joh. 17: 3.* ex quibus clarum: unam eandemq; effe salutis viam & non plures, & in nullo alio, juxta testimonium omnium Prophetarum & ipsius Christi, quærendam effe salutarem Dei & JEſu Christi cognitionem, peccatorum remiffionem, & ſalutem ac vitam æternam, quam in unico Mediatore Chriſto JEſu, & quidem in utroq; Testamento Salvifica fide apprehendendo. *Joh. 14: 6. Chriſtus ſolus eſt via, per quam ad Patrem venit; ſolus eſt veritas, quam omnes ad Patrem perventuri amplecti tenentur; ſolus vita, & extra quam nemo vitam confequitur: oportet ergo fideles, etiam ſub Vet. Teſt. per Chriſtum ejusque notiſiam ac fidem ad Patrem veniſſe. Simpliciter Chriſtus ſe viam, veritatem & vitam nominat, quod nulla aliàs ſit via veritas & vita, & ſimpliciter univerſalis eſt Chriſti aſſertio: nemo venit ad Patrem niſi per me, inquit B. D. Calov. Syſt. LL. CC. tom. 1. p. 164.*

II. *Fidei in utroq; Testamento unitas. Eph. 4: 5. ut unus tantum eſt Deus; ita & una tantum fides, quâ ad Deum pervenitur, quod conſiſtere nequit, cum opinione de diverſa fide, ſub V. & N. T. idem D. Calov.*

III. *Religionis Adamitica, Abrahamitica & Moſaica cum noſtra, quoad objectum & modum ſalutis, Identitas. Gen: 15: 4. credidit Abraham Deo & imputatum eſt ei ad juſtitiam, quam fidem fuiſſe eandem, ſicut & Davidis, cum noſtrâ, docet Apoſt. Paulus, Rom. 4: 3. 6. & c. 23. 24. de Moſe dicit Apoſt. idem Ebr. 11: 26. quod ὁμολογῶν τῷ χριſτῷ opprobrium Chriſti, quod in diebus carnis experturus eſſet, Moſes per fidem in Meſſiam probè & exactè cognovit, & quia*

quia scivit illud in populo Dei prædicari, illi potius sociari, quam aulæ splendore & thesauris Ægypti frui voluit. vid. Doct. Calovius. in Bibl. illustr. ad h. l. Hinc Augustinus: *Eadem fides Mediatoris, quæ nos salvat, salvos etiam ac justos faciebat antiquos, Pusillos cum magnis. Tempora variata sunt non fides, nos credimus Christum ex Virgine venisse, in carne passum esse, in cælum ascendisse; illi crediderunt nasciturum, Passurum, resurrecturum, in cælum ascensurum.*

IV. *Adversariorum, præcipue Socinianorum & Arminianorum, hypothesis falsitas*: Quasi in Vet. Test. nullam habuerunt promissionem, de remissione Peccatorum & vita æterna per Christum, *contrariatur illa disertis Vet. Test. oraculis, Psal: 32: 1. 2. & Habac: 2. 4. Joël: 2: 32. & N. T. testimonijs, Job. 5: 39. Rom: 15. 4. 2. Tim: 3: 15.*

V. *Distinctio per seipsum. 1. Disting. inter religionem ante & post lapsum.* Utraque religio & Cultus conveniunt in generalibus, nempe 1. *Ratione principii*, quod est Divina revelatio. 2. *Ratione objecti colendi*, quod est Deus. 3. *Ratione modi divinitus præscripti*. 4. *Ratione finis & termini*, qui Dei æterna fruitio, seu beatitudo hominis. Differunt vero in *consideratione speciali*, iisdem quatuor modis, 1. *Ratione principii*, quod ante lapsum lex sola, inscripta cordibus, quoad internum, promulgata forinsecus, quoad externum cultum; Post lapsum simul lex ac præcipue Evangelium. 2. *Ratione objecti*, quod illic Deus nudè & in se spectatus, hic vero in Mediatore consideratus. 3. *ratione modi*, qui illic in operando consistebat; hic in credendo & operando simul. 4. *ratione finis & Termini*, qui beatitudo æterna, quæ ut & imago Dei concreata, in Paradiso homini fuit naturalis; at nunc supernaturalis. 2. *Disting. inter & οὐρανὴν seu substantialia, & τὰ ἐπιτελεῖσθαι circumstantialia*, est u-

na religio in utroq; Test. quoad *substantiam*; at diversitas quoad *circumstantias*, ut dictum pag. 7. *uberius*. 3. Disting. *inter Testamentum vetus Evangelicum, & Mosaicum*. Hoc illud non sustulit sed inclusit. *Viguit sub Veteri Testamento Mosaico idem justificationis modus, qui hodie est, obtinuitq; idem medium applicationis bonorum foederalium, nempe fides in Christum, sed non vi foederis Mosaici, verum vi foederis gratiosi & Evangelici, quod inde à Prot-Evangelio Paradisiaco obtinuit, & in vigore suo semper permansit*. 4. Disting. *inter Evangelium generaliter & specialiter sumtum*. *Generaliter* significat doctrinam de gratia Dei, remissione peccatorum & salute æterna, in Christo Jesu Mediatore fundatam, sive legatur in scriptis Moysis, Psalmorum & Prophetarum, sive in libris Evangelistarum & Apostolorum, & hoc sensu est *unum idemque Evangelium, arguens unitatem religionis, quâ partem potiore in utroq; Testamento: Specialiter* ratione temporis & *diverse Manifestationis*, est vel *επαγγελία* in Veteri Test. Evangelium de Christo venturo, triplici respectu, 1. in *Promissionibus*, sanctis Dei hominibus factis, Roman: 1: 2. Galat: 3: 8. dicitur *Evangelium promissum*; 2. in *Predictionibus & Prophetarum oraculis*, de Filij Dei in Carnem adventu & pretiosissimo ejus merito, Esai: 53: c. 63. Psal. 22. Pl. 69. &c. vocatur *Evangelium prænunciatum*; 3. in *Typis & sacrificijs Leviticis*, Ebr: 13: 8. Apoc: 13: 8. & dicitur *Evangelium præsfiguratum & adumbratum*; vel est *εὐαγγέλιον* *letum nuncium*, de *promissionibus gratie in & à Christo exhibitio impletis*, Luc: 2: 10. 11. 12. &c. Gal: 4: 4. Et hoc sensu Patres V. T. non habuerunt Evangelium, sed illud est N. T. proprium. Marc: 1: 14. 15. Matth: 11: 12. 13. Galat: 3: 23. de utroq; ita loquitur Paulus, Act: 13: 32. *ἡμεῖς ὑμᾶς εὐαγγελίζομεθα τὴν πρὸς τὰς πατέρας ἐπαγγελίαν γενόμενην. nos vobis annunciamus, actū completam promissionem patribus factam.*

## Πόρισμα II.

*Cum una sit religio, qua itur ad salutem, ergo non quivis salvatur in sua religione.*

I. Est hoc confectarium directum contra *Muhamedanos, Pelagianos, quosdam & Scholasticos & Pontificios, quosdam Calvinianos, Franisc. Puccium Italum, Stephan. Curcelaium Gallum, Socinianos, Arminianos, Libertinos & Civiliter honestos quosdam politicos, rationi status inservientes, quorum flexibilitas soles vocari Religio prudentum, & Philosophica propter libertatem ab obligatione ad credendum, prout Philosophus, autoritate nullius, tenetur jurare in verba Magistri.*

2. Verum nos sequentibus argumentis Generalibus, specialibus anatomix cujusvis sectæ, intra religionis opposita reservatis, ipsum πόρισμα stabilimus, quæ sunt:

I. *Ipsius religionis unitas, cujus unica ad Deum via, per mediatorem unicum Job: 14: 6. unica ratio remissionis peccatorum, Psal: 32: 1. & justificationis Esai: 45: 24. Rom: 3: 21. ad salutis eterne per unam fidem Job: 3: 15. 16. respuens plures religiones dari, aut in eisdem salvari, tanquam extra unicam hanc veritatis viam, diverticula & avia, quorum terminus interitus, Matth. 7: 13. 14.*

II. *Sententia contraria periculositas: Nam: Non est in unione & Communione veræ Ecclesia, qui caret influxu unius Sanctificantis Spiritus, qui caret influxu unius Sanctificantis Spiritus, qui caret agnitione & confessione ejusdem spei, ejusdem Domini, ejusdem fidei, ejusdem Baptismatis & caterorum requisitorum, quæ postulat Paulus ad Ephes: 4: 4. 5. 6. inquit D. Hulseus. in for. Con. art. 15. f. 4. §. 3.*

III. *Extra Ecclesiam salutis nullitas, Act. 4: 12. nec Deus huic Pater, cui non Ecclesia mater. Ecclesiam tamen votivam, in qua quis est voto & desiderio, excipit B. D. Krom. ut si quis Christianus apud Turcas & Barbaros sit Captivus, etiam si locorum intervallis à Cætu vocatorum sit remotus, novoviam tamen internam, si sua religionis tenax permanet, cum reliquis Ecclesia membris habet.*

IV. *Applicationis Mediorum salutis impossibilitas: Quoad Paganos, Turcas & Judæos, non baptizatos nec fidem habentes, Mar. 16: 16. Ioh. 3: 5.*

Ebr.

*Ebr. 11: 6. Quoad Hereticos & deceptos incorrigibiles, fidei fundamentum subvertentes, Psal. 11: 4. Matth. 15: 13, 14. Joh. 15: 6. Colof. 1: 23. 2. Pet. 2: 1. Ge. quoad utrosq; 2. Thes. 1. 8.*

V. *Fundamenti Tepidorum infirmitas, Nam 1. Habacuc: 2: 4. incrustamentum hujus religionis πολυμορφία quærunt, fallò dicentes: justus sua fide vivet, id est quilibet justificatur & vitâ aternâ donatur, in sua religione, ergo cuilibet est integrum, religionem, secundum quam Deum colere velit, sibi formare & excogitare. En astutiam Satanæ verbum Dei pervertentis! verû nos distingvimus inter fidem que creditur, objectivam, & dogmaticam; & inter fidem quâ creditur, subjectivam & salvificam. De hac posteriori fide salvificâ, qua quilibet fidelis justificatur, & salvatur in proprio individuo, loquitur Propheta, ostendens quemlibet propria non aliena fide salvari, ut Paulus, Gal: 2: 20. nam ut nemo potest vivere vita aliena sed propria; Ita nemo pro altero credere potest. Non de priori, objecto Theologia vera religione, & dogmate seu rebus credendis loquitur propheta, ubi mensuranda religio & cultus ipse, non secundum proprii cerebri somnia, sed secundû normam divinitus præscriptam, Es: 8: 20. Deut: 12: 32.*

2. *Abutuntur quoq; dictis: 1. Cor: 6: 12. omnia mihi licent, ergo omnes religiones suscipere; 1. Cor: 9: 22. omnia factus sum omnibus ut lucrificiam omnes; ergo Paulus fuit omnibus religionibus addictus. At ex una fidelia ambos hosce parietes dealbabimus, distinguendo inter assentationem Pauli in quâvis cum quovis religione; atq; externam Civilem, in primitivâ Ecclesiâ plantandâ, cum judeis & Gentibus nuper conuersis conversationem, non de priori sed posteriori, in utroq; loco est sermo.*

3. *Ad Rom. 14: 4. Quis es qui judicas servum alienû, proprio Domino stat aut cadit, non prohibetur judicium Religionis, 1. Job. 4: 1. 1. Thes. 5: 21. Sed privata affectumis, Matth. 7: 1. 2. 3. 4. 5. At interea orandum: ut omnes errantes & seductos revocare & convertere digneris, exaudi nos O clementissime DEUS!*



## THESIS X.

*Veritas Religionis est, congruentia cum Revelatione verbo Dei scripto comprehensâ, intellectui Divino conformi.*

1. Ratio formalis hujus affectionis partim est *immediata*, inferens congruentiam cum verbo Dei revelato, quod est verissimum & ipsa veritas, Psalm: 119: 43. 86. 142. 160. Joh: 17: 17. 19. partim *mediata*, mediante nempe revelatione verbi Dei, quæ habet conformitatem cum intellectu Divino, tanquam primo vero, mentem suam nobis manifestante, 1. Cor: 2: 7. 9. 10. Innititur ergo veritas Religionis  $\gamma\iota\omicron\sigma\iota\alpha\varsigma$  Christianæ, verbo Dei  $\theta\epsilon\omicron\pi\nu\epsilon\upsilon\varsigma$  seu  $\theta\epsilon\omicron\pi\nu\epsilon\upsilon\varsigma\iota\alpha$  & divinæ inspirationi; *Quæ est conceptus divini intellectus, de Mysterijs divinis & salute nostrâ, ab æterno formatus, & in tempore revelatus, atq; scripture in sacris literis nobis communicatus, ad Dei gloriam, salutaremq; nostram informationem.* 1. Cor: 2: 10. 11. 12: 13. 16. 2. Tim: 3: 16. Matth. 11: 25. 26. 27. ut ergo sacræ scripturæ, quæ dat ei esse & eam constituit ut sit verbum Dei, & à quavis alia scriptura, à quovis alio verbo, eandemq; distingvit, forma interna sit sensus scripturæ  $\theta\epsilon\omicron\pi\nu\epsilon\upsilon\varsigma$ , seu ipsa  $\theta\epsilon\omicron\pi\nu\epsilon\upsilon\varsigma\iota\alpha$ , divina inspiratio, nobis in sacris literis revelata & communicata: Ita quoq; ipsa Religio ab hocce immoto principio, cui firmiter est innixa, dependens, est id quod est, propter internam suam hancce formam, nempe congruentiam & exactam conformitatem, cum divinitus inspiratâ revelatione, verbo Dei scripto comprehensâ. Quod ejus esse essentiale constituit, ut ob hanc formam, sit christiana, sit vera, eandemq; ab omni alia religione, hacce forma, hocce principio. destituta, distingvit, ut spuria, falsâ atq; superstitiosa.

2. Hacce itaq; forma, in *oppositione generalissimâ*, vera Religio distingvitur à falsâ, in *oppositione generali*, christiana

na ab Ethnica, in *oppositione Speciali*, Lutherana à quavis in ipso sinu Ecclesiæ corrupta religione. Et sunt ita synonyma, Religio vera, Christiana, Lutherana, ob conformitatem cum verbi Dei veritate.

3. Religionem vero nostram Lutheranam, inquit beatissima memoria, ac celebratissima recordationis, Dn. Doct. Calovius, Syst. LL.CC. Tom.1. p.98. esse unice veram illam, ac salvificam christianam Religionem, ab his *perniciosis* demonstrat Dn. D. Walther. in præf. Spöng. Mosaic. Quod (1) Scriptura sacra congruat. (2) Glorie Dei, & (3) consolationi vivifica ac saluti hominum inserviat: quibus adijciunt alij, quod (4) vera pietatis studium efficacissime urgeat ac sincere proponat. Prius generale est: Posteriora specialia sunt ac primum supponunt. Quum glorificandus Deus, tranquillanda conscientia, urgenda pietas non sit, nisi juxta Scripturam Sacram, in qua gloriam nominis pacefecit, veros consolationis fontes aperuit, ac normam pietatis præscripsit Deus omnibus, Psal: 147. 19. Rom: 15: 4. 5. 6. Gal: 6. 16. Quæ tria, orationis Dominicæ, prioribus tribus precationibus, quotidie volumus, ut Religionis veræ propagationem precibus obtineamus, Matth: 6: 9. 10. Cujus Magni Theologi sententiæ, quoque ferme ad amussim, suffragatur, Index D. Olearii Balduinianus, Clas. 1. Cap. 1. Sect. 2. Memb. 1. §. 9. Ita Religionem describens: Religio vera est, verbo revelato conformis verus de Deo sensus, & verus juxta eandem normam Dei Cultus, cui addictus potest recte credere, pie vivere, & beatus ex hac vitâ discedere. Hinc eliciuntur quatuor Argumenta, veritatem Religionis nostræ Lutheranæ, ut *veritatis* christianæ, confirmantia. Quorum 1. est generale, nempe quod religio debeat verbo Dei revelato, tanquam normatum normæ (a) Congruere; Tria vero sunt Specialia, quod Religio vera docere debeat sibi addictos, (b) rectè credere, pie (c) vivere, (d) beatè ex hac vita discedere.

Vera Religio debet, *veritati verbi Dei revelatæ (a) congruere.* Nam sacrae literæ sunt, fundamentum & Principium Religionis: *Spiritus enim Sanctus testatur, quod spiritus sit veritas* 1. *Joh. 5: 6.* hoc est, doctrina Spiritus sit immotæ veritatis, à quo principio Religio nostra, ut principiatum deducta, & cui fundamento ut fundatum innixa, & cui normæ ut normatum conformis, & à qua amussi rectificata, non potest non esse verissima. Fundamentum enim, principium, norma, amussis, Canon, verbum Dei scriptum est infallibilis veritatis, usque quaque verum, indubium, certum immotum, cui innititur *fidei ὑπόστασις* Ebr. 11: 1. *salutis certitudo & conscientia tranquillitas,* Eph. 1. 13. 14. Sacra scriptura est *verbum veritatis:* Psal. 119: 42. 2. Cor. 6. 7. Ephes. 1: 13. Col. 1. 5. Jacob: 1. 18. Imo *ipsa veritas,* abstracto pro concreto emphatice posito, Joh: 17: 17. 19. Nullum enim mendacium est in veritate. *Nunquam veritas sectata est fucum,* inquit *Arnobius. Cedamus & consentiamus autoritati sacrae scripturæ, que nescit falli & fallere, Augustin. Quidquid à Deo docetur, veritas, quicquid precipitur, bonitas, quicquid promittitur felicitas est, Hugo. Est scriptura optima & justissima statera, cujus amussis est infallibilis Dei veritas, Aug.* Hæc encomia sacrae scripturæ, tum ei domestica & propria, tum Communia & extranea abunde & sufficienter, reliquis omissis, commendant ipsius cœlestem veritatem, Religionisq; nostræ Lutheranæ exinde dependentis, ac eidem exacte congruentis, veram puritatem puramq; veritatem. Teste formula concordiaë libros nostros symbolicos continente, simulq; nos docente originem ac efficaciam ipsius verbi veritatis, quod fovet nostra Religio. *Gratias agimus Deo, sine intermissione, quoniam, cum accepissetis verbum à nobis Dei, accepistis illud, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui & operatur in vobis, qui credidistis; ex 1. Thessal. 2: 13.* G 2 Reli-

Religio (b) *docet recte credere.* Ad fidem acquirendam requiruntur duo media, 1. offerens & exhibens, 2. apprehendens; seu à parte Dei & nostri. A parte Dei medium offerens est duplex, *verbum & Sacramenta*; à parte nostri, medium apprehendens bona Dei, est *Fides*. Fidei sunt tres gradus 1. *γνώσις* seu *notitia*, Gal. 4. 9. Colloff. 1: 9. 10. 2. *κατάληψις*, *adsensus*, Job. 1: 7. 8. c. 17. 8. quæ totam doctrinam de Deo, rebusq; divinis complectitur, 3. *πληροφορία καὶ πεποιθήσις*, *fiducia*, Ephes: 3. 12. quâ homo sibi ea, quæ credit, imprimis autem promissiones gratiæ applicat, illi opponitur *ignorantia*, isti *opinio*, huic *diffidentia seu incredulitas*.

Docet Religio vera *γνησίως* Christiana (c) *piè videre.* *Gratia namq; Dei salutaris omnibus hominibus est revelata, docetq; nos recusare omnem impietatem, & mundi voluptates, atq; vivere in hoc mundo* (attende trifolium Christianum) *piè* (erga Deum) *juste*, (erga proximum) & *caste* (erga nos ipsos) Tit: 2: 11. 12.

Religio vera docet (d) *beate ex hac vita discedere.* *Beati mortui, qui in Domino h. e. vera fide in dominum Jesum moriuntur amodò: Nam Spiritus dicit quod requiescant ab omni labore suo, & opera eorum comitantur eos,* Apocal: 14: 13.

*Hæc voti sit summa mei, da (1) credere recte;*

*Vivere (2) da sancte; da (3) benè Christe mori!*

(1) Job. 3: 16. (2) Job. 13. 35. (3) c. 8: 51. Job: 5. 24.

Formula concordiæ sumitur, vel *μερικῶς*, quoad epitomen undecim articulorum & solidam eorundem declarationem, controversorum inter Theologos August. Confess. addictos; vel *ὀλικῶς*, quando omnes libros symbolicos nostræ Ecclesiæ, in unum volumen congestos, complectitur. Qui libri symbolici satis superque ostendunt Religionis nostræ Lutheraniæ, ut *γνησίως* Christianæ, veritatem, eique quod quatuor hæc *γνωρίσματά*

ac *κελήρια* maximè competant. In exemplum adducam *Catechesin B. Lutheri*, ut librum horum fermè minimum mole, at maximum pondere. Singularem ac exactam habet certè congruentiam cum verbo Dei; imo ipsa ex verbo veritatis est deducta, ut Religionis nostræ *illustre Michtam ac aureolum*, ita simpliciter, ut ramen eruditè, ita breviter ut ramen perspicuè ac dilucidè, ex sanis Israëlitis fontibus sit exhaustum. Ut non immeritò, jam *Μικροβιβλια*, & *atatis infirmioris postilla*, jam *totius S. Scripturæ Ἐπίτομή* & *compendium*, imo, *succus* & *sanguis*, *mel* & *medulla*, à doctis passim audiat. Nam continet summam τῶν θεοπαράδοτων λόγων copiam & ubertatem, brevi admodum perspicuitate, & perspicuâ brevitate. *Tota Catechesis agit vel de Dei verbo, vel de hominis servitio Deo debito*, unde promoventur. *fides*, *Pietas* & *beatus* ex hoc vitæ ergastulo exitus. *Verbum Dei est vel generale & invisibile; vel speciale & visibile. Generale & invisibile Dei verbum est (a) lex, & (b) Evangelium*, duobus prioribus catechismi capitibus, *Decalogo* videlicet, & *Symbolo Apostolico* comprehensa. *Speciale verò & visibile Dei verbum sunt sacramenta: (c) Baptismus, & (d) sacra cœna*, quartæ & sextæ partis catechetiçæ contenta. *Lex (a) non gignit fidem salvificam aut salutem; Idq; non per se, quia est verbum Dei efficax*, Ebr. 4: 12. *sed per accidens*, non vitio legis, sed naturæ nostræ corruptæ, Rom. 7: 14. interim est *pedagogus noster ad Christum*, Gal. 3: 24. 1. *Peccata ostendendo; per legem agnitio peccati*, Rom. 3: 20. 2. *Peccata cognita accusando*, Joh. 5: 44. *Ut obturetur omne os, & ὑπόδικῶ, subditus fiat coram Deo totus mundus*, Rom. 3: 19. 20. 3. *hominem ob peccata damnando*, Deut. 27: 27. Gal. 3: 10. *Deus omnia conclusit sub peccatum*, (sc. voce legis damnantis) *ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus. Peccatores lex per accidens re-*

mittit ad Christum, peccatis agnitis. Hos suscipit gratia Domini nostri Jesu Christi, in (b) *Evangelio* oblata & credentibus applicata, juxta *Symbolum Apostolicum*.

*Lex vita speculum mala quae commissa revelat;*

*Velat at illa sua morte meus Dominus.*

Fidem quoque gignunt & salutem sacramenta, tum (c) *Baptismus*, initiationis, tum (d) *Altaris*, confirmationis sacramentum. Nam sacramenta nihil aliud sunt, quam epitome *Evangelii*, & *promissionum Evangelicarum sigilla*. Correlatum *Evangelii* & sacramentorum est fides, unicum ὄργανον & instrumentum, à parte nostri, quo bona & dona Dei nobis promissa & exhibita, apprehendimus. Sicut enim *Evangelium* & sacramenta sunt, organa fidei & salutis à parte Dei; ita fides salvifica est organon salutis ex parte nostri: illa sunt organa μετεδοπικῶν, exhibitiva, Hoc verò est ὄργανον ληπτικὸν apprehensivum, quo Christum, cum omnibus beneficiis suis, in mediis salutis propositum, apprehendimus; & inde oritur *justitia, fide nobis per meritum Christi imputata*, Rom. 3:23. 24. 25.

*Servitium nostrum Deo debitum*, consistit vel in cultu *invocationis*, ad quem pertinet oratio Dominica, preces mensales, matutinæ & vespertinæ; vel in *negotio conversionis*, absolvente 5. Caput catech. vel *officii functionis*, juxta Tabulam œconomicam. Ex quibus præcipue promovetur pietas. Hinc patet quam amplum Thesaurum aperit nobis, nostra catechesis, ostendendo nostram Religionem esse præcipue veram, & γνησίως Christianam. *Quaecumque Religio congruit cum verbo Dei, docet rectè credere, piè vivere, & beatè mori, illa est γνησίως Christiana Religio; at Religio Lutherana, congruit cum verbo Dei, docet rectè credere, piè vivere, & beatè mori, ergo Religio Lutherana est vera & γνησίως Christiana.*  
Unde fluunt sequentia μέγιστα: Πόρι-

πρόσωπα I. *Qui tenet Lutheri Catechesin, non tumet præconceptis opinionibus, sed studet cognitioni veritatis, secundum Pietatem, Tit. 1. v. 1.*

*Cum: in sese pietas virtutes continet omnes.*

I. Per veritatem Divus Paulus, hoc in loco, intelligit Christianam Religionem, quæ sola pietatem docet, & κατ' ἐξουσίαν ἀληθεία, veritas, appellatur, Joh. 8:32. & alibi. Vel cum epitheto: veritas Evangelii, Gal. 2: 5. 14. Cujus veritatis κατ' ἐπιστάσεων fundamenta jecit, qui didicit B. Luth. Catechesin. Hinc sequitur, quod qui habet cognitionem veritatis secundum Pietatem:

1. Non præconceptis opinionibus tumet. In quorum numero sunt Anabaptista, Enthusta, Weigiliani, & qui illorum fanaticos furores ac errores ex orco revocârunt, internas revelationes Spiritus Sancti jactitantes, sibi ipsis ut solis habentibus spiritum sanctum imaginantes, ac proinde in schola spiritus S. nomine spiritualium, contumaces ac pertinaces superbiunt. Verum spiritus bonus non docet proximi contemptum; sed ut nihil fiat per contentionem aut inanem gloriam, sed alij alios humilitate & modestiâ sibiipsis arbitrentur superiores, Phil. 2: 3. honore alij alios prævenientes, Rom. 12: 10. Nec sapientia spiritus sancti est ἐπειθής, Pertinax & imperfvadibilis, ut fanaticorum erroneis opinionibus insistentium, sed ἐπιειθής 'persvadibilis, svet. låter sãtta sigh/ Jacob: 3: 17. Ergo judicent ipsi, quo reguntur Phantastico spiritu; nam non est sibiipfi spiritus sanctus contrarius, sed est spiritus veritatis, Joh. 15: 26.

2. Cælestem veritatem maximi censet. Nam, ut in omnibus artibus ac disciplinis, melius dari principium non potest, quam quod est οὐκείον, homogœneum & illi Disciplinæ proprium; ut de rebus medicis e principijs medicinæ,  
de ju-

de jurisprudentiâ ex regulis juris, de rebus physicis è naturâ, omnium optime doceatur; ita de vera Religione, non aliunde rectius quam ex verbo Dei judicatur. Nemo enim de cultu Deo debito melius testari potest, quam ipse Deus in verbo suo. De quo nemo piorum dubitare debet, Pſal. 85: 9. 1. Joh: 5: 6. Disting. 1. inter *libros Canonicos & Apocryphos*. *Soli illi sunt fidei nostræ sustentacula & anchoræ*, ut loquitur *Athanasius*; Hi vero non ab omni errore immunes. *In libris Apocryphis, etsi invenitur aliqua veritas, tamè propter multa inconvenientia, nulla est Canonica autoritas*, inquit *Augustinus* l. 15. de civ. Dei, c. 23. faciunt libri Apocryphi non ad fidei confirmationem, sed ad fidelium informationem, & fidelem vitæ ædificationem. 2. Disting. inter *scripturam originalem & originatam*, sive *fontes & versiones*; illi principaliter & *πρωτως* scripta divina sunt, sistentes & conceptus divinos, & verba divina in individuo spectata; hæc *δυσέπως* & dependenter. Versiones enim fideles exhibent quidem sensus & conceptus divinos, juxta mentem spiritus sancti, non vero verba divina in individuo spectata, in textu originali. Unde recte *D. Dorscheus* in *Kirchero devio*: *Non est despiciendum translationis beneficium, quamvis semper sit suspiciendum originalis lingvæ Præsidium*. Cum itaq; illi sunt *Discipuli Christi*, qui manent in ejus sermone, Joh. 8: 31. Ergo quoq; omnes opiniones, circa fidem & Religionem, sunt examinandæ ad Sacræ Scripturæ veritatem, tanquam lapidem lydium, Rom. 12: 6. non enim est scriptura *ιδίως ἐπιλύσεως*, *privata interpretationis*, sed *sancti Dei homines locuti sunt*, *Φερόμενοι ὑπὸ πνεύματι & ἀγνί*, ducti & moti à Spiritu sancto, 2. Pet. 1. 20. 21. Non ergo ab Autoritate hominum, sed ab ipsâ sacrâ scripturâ *ἑνοπνεύσω*, dependet omnis fidei veritas. Rom. 15: 18. 2. Tim. 3: 16.



3. *Efficaciam mediorem fidei ac salutis, ratam ac firmam tenet.* Catena Anabaptistico-Enthusiastico-Phantastica hæc est: *Dixit Christus, sumite Spiritum Sanctum, Quorumcumq; remiseritis peccata, remissa sunt,* Joh. 20: 23. *Sacerdotes Lutherani non habent Spiritum Sanctum, ergo non possunt remittere peccata, nec efficaciter salutis media, verbum & sacramenta, administrare, sed nudum concionantur verbum, nuda dant in sacramentis signa, ergo non petenda ab ipsis absolutio, nec sacramenti Altaris communicatio, sed interna revelationes & Spiritus Sancti illuminationes, cum infusione justitiæ Dei, expectanda.*

En delirium diabolicum, Jac. 3: 15. *â spiritu malo, sese in Angelum lucis transformante,* 2. Cor. 11: 14. *profectum! Quasi enervaretur omnis efficacia mediorem Salutis, indignitate Ministri.* Nos distingvimus inter id, *quod notum est Deo, & hominibus.* Non spiritus fanaticus, *sed ipse Spiritus Dei scrutatur omnia, imò & profunda Dei,* 1. Cor. 2: 10. *Scit quid in homine est,* Joh. 2: 25. *Quod nemini hominum notum,* 1. Cor. 2. 11. Ergo sunt *impj in Deum cordis scrutatores,* qui solus novit quisnam nostrum habet Spiritum Sanctum, nec ne, non verò illi, 1. Sam. 16: 7. Plal. 7: 10. Sunt *injuri in Ecclesia Ministros, custodientes depositum, per spiritum Sanctum habitantem in nobis,* 2. Tim. 1: 14. Reliquorum nævos, non more obtrectatorum, (quos non regit Spiritus Sanctus) Mundo propalare, sed *pallio charitatis,* quod est cordatorum Spiritus Sancti templorum, obvelare debuissent, 1. Pet. 4: 8. 2. Disting. inter *dona Spiritus Sancti sanctificantia & administrantia,* pii Sacerdotes habent utraq; impii solum admidistrantia, sicut antea p. 12: & 13. dictum. 3. Disting. inter *causam principalem mediorem salutis, ipsum Deum, & instrumentalem, Ecclesiæ Ministrum.* Ut non Ministerii Ecclesiastici dignitas & efficacia, ita nec verbi Dei & sacramen-

H

torum,

torum, dependet ab indignitate aut dignitate docentis aut administrantis, sed à solâ ordinatione & institutione, Dei ordinatoris & Autoris. Interim causa Ministerialis non opponenda, sed subordinanda principali, cum effectus æquè de utrâq̃, licet non æqualiter, prædicetur. *Causa ministerialis in virtute causæ principalis agit, unde non ab illâ, sed ab hac pendet verbi & Sacramentorum veritas & integritas, Matth. 3: 11. 1. Cor. 3: 6. 7. Ad illud Anabaptistarum: Minister improbus non habet Spiritum Sanctum, ergo non potest beneficia alteri conferre spiritualia, Disting. 4. inter agens principale & instrumentale. Agens principale non potest alii conferre efficienter & formaliter, quo ipsummet destituitur, sed per agens instrumentale conferri potest, eminenter & virtualiter, quod huic non inest. Ut eadem est sigilli figura, licet aureo vel ferreo insculpta sit annulo, sic idem Ministerium, sive boni sive mali teneant, ait Nazianzenus.* Est enim Christus qui per eos docet, baptizat, absolvit. Nam Ministerium Ecclesiasticum non separatum à Spiritu Sancto, sed uno indiviso, actu divino-humano, ad unum *ὑποτέλεσμα* efficacissimum, non solum comitative, sed organicè operatur. Unde *unus est Actus sacerdotis ac Spiritus Sancti, Matth. 10: 20. 1. Cor. 4: 1. 1. Cor. 3: 9. Act. 26: 18. Luc. 10: 16. &c.* Hinc sequitur, quod Ecclesiæ Ministri, ut *os Dei*, Jer. 15: 19. *Legati Christi*, 2. Cor. 5: 20. *Ministri Jesu Christi*, Rom. 15: 16. *Cooperarij Dei*, 1. Cor. 3: 9. individuo cum Deo concursu ac simultaneo actu, absolvunt, remittunt peccata, prædicant verbum Dei, administrant sacramenta, non tantum *ἰσορρικῶς*, declarativè & annunciativè; verum etiam *ἐνεργητικῶς* & effectivè, licet *ὁμορρικῶς* & cooperativè.

Unde fluunt hæc conclusiones:

Concl.

Concl. I. *Falso verbum Dei dicitur nudum & inefficax, quod  
 exstat in Bibliis, aut predicatur; efficax verò & internum, quod  
 somniant sibi dari, per internas illuminationes immediatas. Semper  
 enim verbū Dei est efficax, siue sit in usu, siue non. Est enim  
 Sp. Sanctus, ut per verbum, ita per sacramenta efficax  
 & gratiam confert, tanquam per electa à Deo media. Impia  
 ergo est vox phantastarū: verbum externum & sacramenta, abs-  
 que interno motu Spiritus Sancti, sunt imagines & boves maci-  
 lente Pharaoni vise, Gen. 41: 3. Nam media hæc salutis, ut  
 conjuncta Spiritu Sancto, ita semper sunt pingvia &  
 formosa. Nam non solum monstrant & repræsentant vi-  
 am fidei & salutis; verum etiam pollent divinâ virtute,  
 instructâ spiritu & vitâ, vi divinæ ordinationis, ad salu-  
 taria *ῥοπιδέσματα* operanda. Ideo disting. inter *efficaci-  
 am verbi Dei in actu primo, & in actu secundo consideratam, siue  
 inter efficaciam & efficientiam*; Actus primus est ipsa *δύναμις  
 ενεργητικὴ* seu potentia operandi. Actus secundus est actu-  
 alis operatio, quæ aliàs Græcis, ipsiq; S. Paulo *ἐνεργεία*  
 dicitur, Eph. 1: 19. c. 3: 7. quippe qui in locis jam citatis di-  
 stingvit, inter *δύναμιν τῆς θεοῦ*, & inter *ἐνεργίαν τῆς δυνάμεως  
 αὐτοῦ*, velut inter *actum primum & secundum*. Verbum Dei,  
 quatenus verbum Dei est, semper & indefinenter efficax  
 est, quoad actum primum. Unio enim verbi & Spiritus  
 Sancti est perpetua, ut ubicunq; verbum est, ibi est & Spi-  
 ritus Sanctus. Licet Actus secundo, efficaciam suam non  
 exferat, nisi in usu legitimo. Qui *Actus secundus dupliciter  
 accipitur, vel pro ενεργεία & operatione, vel pro ipso effectu*. Pri-  
 ori modo verbum Dei lectum, prædicatum, auditum,  
 nunquam est otiosum, sed semper operosum, Esai. 55:  
 10. II. posteriori verò non semper assequitur effectum, ob  
 impedimentum penes homines. Et ita non *per se, sed per**

*accidens fit inefficax, non potentie defectu, sed malitie motu, quo ejus operatio impeditur.*

Concl. 2. *Falsum quoque est, quod nuda dentur signa, macilentæ pharaonis boves, & imagines corporis & sanguinis Christi, non verò substantialia corporis & sanguinis Christi, in sacrâ cœnâ.* Nam firmiter quivis, Spiritus Sancti Discipulus, credere debet ad salutem; *verum corpus & sanguinem Christi, unâ cum benedicto pane & Vino, organo oris percipi, manducari ac bibi, & à Dignis & indignis; nixus verbis institutionis, accipite, edite, bibite.* Distingv. inter manducationem & bibitionem sacramentalem & spiritualem. Prior requirit organum corporis, videl. os, ratione acceptionis & Participationis, unde manducatio & bibitio oralis dicitur, non *quoad modum, quasi hæc esca spiritualis, modo naturali,* sicut cæteri cibi sumatur, sed *quoad organum* habito respectu, & pro objecto habet ipsam sacramenti substantiam, h. e. in, cum & sub pane, corpus Christi, & in, cum & sub vino, sanguinem Christi; Posterior *spiritualis manducatio & bibitio requirit fidem,* & habet pro objecto hæc verba, *hoc facite in mei commemorationem.* i. e. in recordationem passionis & mortis dominicæ, & applicationem beneficiorum, merito Christi sanguinolento, acquisite. De utrâq; participes fiunt digni, de Priori, non posteriori, indigni.

Hinc patet, quod non intelligant verba institutionis, qui negant præsentiam corporis & sanguinis Christi, sed nuda adesse ajunt signa ideò, quia *faciemus hoc in ejus commemorationem.* R. à positione hujus, ad negationem illius, non valet consequentia, ut è superioribus patet. Sed regerunt: *ἀνάμνησις seu memoria est rerum præteritarum & absentium, in cœna fit memoria ipsius Christi, ergo in cœna est absens.* R. I. Major propositio non est simpliciter & univ-  
liter

liter vera, sed falsa. *Deus qui memoriam sui nominis instituit in Jacob*, Gen. 28. item apud arcam fœderis, *Ec. ubiq; est præsentissimus. Recordationis objectum* non est simpliciter corpus & sanguis Christi, sed ejus mors & passio. Differunt ergo hæc: accipite, edite sub pane corpus meum, bibite sub vino sanguinem meum, ab hisce: hoc facite in mei commemorationem, i. ratione naturæ, ista ad Eucharistia essentiam, hæc ad finem, fructum seu ejusdem effectum pertinent. 2. Ratione objecti, illorum Verborum objectum est panis & corpus, vinum & Sanguis Christi, sacramentaliter seu unione sacramentali unita, ita ut mediante pane corpus, & mediante vino sanguinem Christi vere, præsentem & realiter participemus, 1. Cor. 10: 16. 17. Horum verò objectum est, Christus cum omnibus beneficiis suis fide apprehendendus. Quod attinet indignos, tum non accipiunt nudum panem, aut nudum poculum, sed panem Domini, hoc est, panem cum corpore Domini, & calicem Domini, h. c. calicem cum sanguine Domini unitum. *Indigni sunt ενοχοι rei, non τῆ ἀρετῆ καὶ τῆ πνεύματι*, sed τῆ σωματι. & καὶ αἵματι, corporis & sanguinis Christi, 1. Cor. 11: 27. 28. 29. Nota: ενοχοι, vel construitur cum Dativo, & tum denotat pœnam seu genus supplicij, ut Matth: 5: 22. *quisquis irascitur fratri suo temerè, ενοχος εἶσται τῇ κηρίῳ*, reus erit iudicio; vel construitur cum genetivo, & tum denotat rem ipsam, vel rei ipsius violationem, ut Jacob. 2: 10. *ἄνομος γινώσκων ἑαυτὸν ενοχόν*, reus factus est omnium: ita & hoc in loco, ubi non significat pœnam seu genus supplicij, sed ipsam objectum, circa quod, & ex quo reatus, crimen & pœna iudicij contrahitur, quod est corpus & sanguis Christi, cujus reatus causa est, indigna manducatio corporis cum pane, & indigna bibitio Sanguinis cum vino. Ergo indigni in Cœnæ Dominicæ usu, corpus & sanguinem Christi, ore corporis, manducant & bibunt, quia

eden-

edendo & bibendo rei corporis & sanguinis Christi fiunt. Præterea: Judas accepit corpus & sanguinem Christi, in sacrâ Synaxi, Judas fuit indignus, ergo indigni accipiunt corpus & sanguinem Christi, in sacrâ Synaxi, Matth. 26: 26. Mar. 14: 24. Luc. 22: 14: 15. &c, Judas fuit Proditor, Hypocrita, & fur, ideo indignus. Hinc vox entusiast: nulla: *Si indigni percipiant corpus & sanguinem Christi in sacrâ cœnâ, tum acciperent Spiritum Sanctum, & alia beneficia spiritualia.* Resp. Disting. inter præsentiam corporis & sanguinis Christi, veram ac realem, quoad ipsam substantiam, atq; gratiosum ac salutarem ejus fructum ac usum. Priorem verè habent indigni, posteriori carent ob infidelitatem. λόγος εὐσπᾶς semper est ζωοποιός, Joh: 6: 54. actu primo & per se, sed actu secundo & per accidens impœnitentes, propriâ culpâ, actum vivificandi impediunt. Hinc canit Ecclesia: *Sumunt boni, sumunt mali, forte tamen inæquali, vite vel interitus. Mors est malis, vita bonis, vide, parâ sumtionis, quam sit dispar exitus.*

Concl. 3. Falso ac vitiosè confunditur ipsa justitia fide imputata, cum justitiâ Dei essentiali, & justitiâ inbæsivâ. Minister enim Ecclesiæ remittens loco Dei peccata, non infundit, confitenti justitiam Dei essentialem, nec aliquam qualitatem, verum absolvit pœnitentem peccatorem à peccatis, pronunciando eum justum coram Deo, fiduciali meriti Christi imputatione, 2. Cor. 5: 20. 21. & applicatione, Joh. 1: 12. justificamur ergo

1. Non justitiâ Dei essentiali, quæ est ignis consumens, damnans potius quàm justificans. *Venit Christus in carnem, 1. Job. 4: 2. nempe propriam filio Dei personaliter unitam; in mysticam verò, nempe fideles, non essentiali justitiâ, sed gratiosâ unionem, quæ est fructus justificationis imputatæ, Gal. 2: 20. Et habitat in nobis Spiritus Dei Rom. 8: 9. 10. 11. neq; essentiali justifi-*

*justitiâ, verùm gratiosa in habitatione & Spirituali conjugio, Hof. 2: 19. 20. Eph. 5: 32. & quoque est fructus justitiæ imputatæ, Gal. 3: 2.*

2. Neq; *justitiâ inbasivâ*, quodam ut bono opere; Sed *justificamur.*

3. *Perfectissimâ, tum activâ tum passivâ, obedientiâ, ac sanctissimo merito Domini nostri Jesu Christi, nobis verâ ac salvificâ fide, seu ejusdem apprehensione, applicatâ, ac imputatâ, Rom. 3: 20. 24. 27. 28. Esa. 45: 24. 25. I. Cor. 1: 30. consistit ergo justificatio nostra coram Deo, in remissione seu non imputatione Peccatorum, & imputatione justitiæ Christi, Psal. 32: 1. 2. Rom. 4: 5. 6. 7. 8. cap. 3. 25. cap. 5: 19. 2. Cor. 5: 19. 21. Phil. 3: 9. Hæc duo non differunt τῷ ἔναι, sed duntaxat τῷ λόγῳ; imputatio enim justitiæ Christi materialiter est ipsa remissio peccatorum, & remissio peccatorum est ipsa justitiæ Christi imputatio, utraq; vox totam justificationis naturam exprimit. Est unus actus imputationis, at modus geminus, *συνηκός & διηκός*, consistens in imputatione justitiæ alienæ, & non imputatione iniquitatis propriæ: uterq; reale Dei judicium importat.*

Ut ita *justificatio nostra formaliter nihil aliud sit, quàm peccati nostri in Christum, & justitiæ Christi in nos translatio, per imputationem, Rom. 4. &c.* Et hæc justitiæ nec potest intendi nec remitti, sed est dependens à merito Christi, ut perfectissimo ita & ipsa perfectissima. Perfectè remittuntur peccata omnia, ut non opus sit satisfactione, pro peccato nec originali. nec actuali, propriâ. I. Joh. 1: 7. Rom. 8: 1. ut hinc homo fide salvificâ justificatus, *de suâ justificatione, gratiâ Dei ac salute aternâ certus esse possit ac debeat. Rom. 8: 15. 16. &c. I. Joh. 5: 10. I. Cor. 2: 12. 2. Cor. 1: 21. 22. &c. &c.*

Effecta justificationis sunt I. *Cum Deo unio, Joh. 15: 4. 5. 6. cap. 14: 23. 2. in habitatio Christi, Gal. 2: 20. & Spiritus Sancti,*

*Et*, Rom: 8: 9, 10. 11. 3. *Filiatis adoptio*, Rom: 8. 14. &c. 4. *Conscientia tranquillatio*, Rom: 5: 1. 2. 5. *Precum exauditio*, Rom: 8: 32, Jac: 1: 5. 6. 7. 6. *A lege, non dirigente, sed cogente & execrante, liberatio; sumus enim non sub lege, sed in lege*, Aug. Gal: 3: 13. 14. cap. 4. 4. 5. 7. *Sanctificatio*, Rom: 6: 22. 8. *De spe vite eterna gloriatio*, Rom: 5: 2. Et hi tractus & effectus, admittentes gradus intensionis & remissionis, Apocal. 22. 11. Colof. 1. 10. Ephes. 4. 13. 2. Pet: 3. 18. non sunt confundendi cum ipsa iustitia imputata, quæ consistit in puncto & indivisibili actu justificationis, & peccatorum perfecta remissione, Eph: 1. 7. Col. 1. 14. Heb. 10. 14. *Ps 89: 35. Esa. 54: 10.*

4. *Veram pietatem fovet*. Quæ non peccat in excessu, tendendo ad pietatem phantasticam & Enthustasticam, Colof: 2: 16. 18: 19. 20. 21. 22. 23. Eph. 5: 26. nec in defectu ad securitatem mundanam, Eccl. 11: 9. 10. Rom: 13: 14. Sed in medio tutissimus, Præstando Deo ac proximo, imò sibi ipsi debitum suum officium, juxta verbi Dei contentum.

11. *Datur quoq; veritas, quæ non est secundum hanc pietatem fidei*, ut liberales artes; quæ non contrariantur veritati Theologicæ, sed subordinantur. Quia verum semper consonat vero, nec contrariari possunt sibi invicem, quæ in scripturâ revelata sunt, & quæ in naturâ. cum utriusq; veritatis Autor sit Deus, à quo omne Donum bonum ac perfectum, & cujus omnia opera sunt bona, Jac: 1: 17. magna est ergo impietas, vocare Philosophiam, studium linguarum, gradus & honores Academicos, à Deo sanctificatos, à Majestate roboratos, sordes, inquinamenta, & res nullius momenti. Licet respectivè ad hæmiphartum superius, non sunt in tanto pretio, ut veritas secundum pietatem; interim absolutè in se, suâ naturâ, ac debito usu, insignia sunt dona Dei, magno labore & sudore acquirenda, ac super omnes divitiæ maximi æstimanda. Hoc *πείσμα*, ita deducum, observandum contra Pontificios, Calvinianos, Enthustastas, Labadistas, reliquosq; fanaticos spiritus. Si sint corrigibiles, redeant ad mentem meliorem, sin minus portent proprium judicium, quicunq; sint, Gal. 5: 10. Deus paci conterat satanam sub pedibus nostris velociter! Rom. 16: 20.



*Veritas Religionis γρησιώσ Christianæ cum sit indivisibilis, ergo incongruè plures ejus veritates statuuntur.*

Hoc Porisma probant argumenta sequentia:

I. *Veritatis unitas.* Consistit enim veritas Religionis in puncto conformitatis, cum verbo Dei revelato, quod est ipsa veritas. Joh: 17: 17. *ὁ λόγος ὁ οὐκ ἀλήθεια ἐστίν.* Per λόγον hic non intelligitur λόγος ὑπὲρ τῆς ζωῆς, ipse æternus Dei Filius qui est ipsa veritas, Joh: 8: 32. c. 14: 6. Sed λόγος προφορῆς, verbum seu sermo Dei, qui est conversionis & Sanctificationis medium vere unicum & unice verum. Dicitur verbum Dei veritas, cui nostra religio est superstructa, tum *in genere*, propter summam ac infallibilem certitudinem & ἀσίγητον, 2. Pet: 1: 19. quæ inde pendet quia est ἐσόπνευσον, & cum intellectu ac voluntate divina exactissime congruit, 2. Tim: 3: 16. tum *in specie*, in oppositione ad umbra veritatis, ceremonias leviticæ; Joh: 1: 27. & ad Religiones heterodoxas ac doctrinas mundanas, hæc immota religionis veritate destitutas, ob varios admixtos errores, multasque falsitates, veritatis cœlestis unitati contrarias.

II. *Canonis infallibilitas:* Nam canon est lex immutabilis, & mensura infallibilis, quæ nullo modo admittit, ut aliquid ei addatur vel detrahatur. Talis Canon veræ Religionis est, verbum Dei ἀσίγητον καὶ ἐσοπνευστον, perpetuæ ac immutabilis veritatis, omnis erroris ac falsitatis expers, cum Deus nec per se, nec per alios mentiri possit. Num: 23: 19. Tit: 1: 2. Heb: 6: 18. Joh: 14: 6. Ergo tantum una non plures dantur veritates. Cum tota Sacra Scriptura canonica, Religionis Canon, sit immotæ veritatis. *Diff. inter contradictiōnem veram & apparentem, seu inter id quod ἄρως & id, quod*

*Φαινόμενος est contrariū.* omnis ἀντιφασίς ἢ ἐναντιώσις ἀληθινῆ, sive contradictio verè talis, à fontibus Bibliorum est alienissima. DEUS enim qvi in scripturis loquitur, sibi ipsi contrarius esse, aut ἀντιφατικὰ, quorum pars altera semper est falsa, proferre non potest, cum sit ipsa prima & summa veritas; dantur tamen contradictiones apparentes, apertæ parvulis h. e. simplicibus S. Script. scrutatoribus, & facile conciliabiles; superciliosis vero ac superbis per accidens; ob propriam malitiam, occultæ, qvi à primâ veritate deficientes, in diversas abeunt falsarum religionum sententias. Matth: 11: 25. Psa!: 81: 9. 12. 13.

III. *Reipublicæ utilitas:* Nihil enim æq̄ distrahit animos Magistratus ac subditorum quam religionis diversitas, cum vicissim optimum concordie fundamentum sit in una, vera, γνησίως Christiana religione consensus, ubi corde uno & animâ una, unâ numero religione DEUM colere licet. *Duo sunt veræ concordie seminaria: eadem loqui, & eadem sentire.* Hæc duo unitatem in vitâ ac fide facile conservant. In communi vita, nihil exosius est, quam homo bilingvis, qvi aliter sentit ac loquitur; In fide nihil perniciosius, quam homo singularis, qvi suas habet opiniones & phrases peculiares, saltem ut videatur invenisse aliquid novi, quâ ratione ad schismata & hæreses, facillimè lata aperitur fenestra. Tueamur igitur consensum in Phrasibus & sententiis, in studiis & moribus, & sic à schismate facile immunes erimus.

*Sint unum, doceant unum, fateantur & unum,*

*Qui unum de Christi nomine, nomen habent.*

IV. *Prudentiæ christiane singularitas:* Optandum equidem, pioq̄ Magistratui in id summo studio incumbendum, ut una eademq̄ vera religio ubiq̄ vigeat, cum nullum sit firmitus

ut antea dictum, pacis ac concordiae vinculum; quàm si in unâ eademq; verâ religione animi subditorum consentiant; ast plenus & universalis ejusmodi consensus in hâc vitâ vix ac né vix quidem sperandus. Matth: 13; 15. 1. Cor: 11. 19. Ideo hocce in passu, sequentes solent observari distinctiones. Dist.

1. Inter *Reipublica statum tranquillum & turbatum*; cum *Reipubl. status sit pacatus*, atq; una eademq; vera religio inibi viget, tunc Magistratus non debet diversas sectas in ejus gremium recipere; sed ipsemet tenetur, non solum eandem Religionem amare, tueri ac conservare; verum etiam omnibus ac singulis suis subditis, ejusdem accuratam, genuinam ac exactam observantiam, iniungere atque imponere; At si *status Reip. sit turbatus*, ac diversæ in eâ dominantur religiones, tum lex prudentiæ requirit, ut ex duobus malis tristibus eligatur minus malum. Præstat enim tolerare religiones peregrinas, quàm turbare pacem publicam & veram Ecclesiam pessundare.

2. Disting. inter *observationes pertinentes ad statum Reip. (a) pacatum, ad (b) turbatum, atque ad utrumque.*

(a) Circa statum Reip. Pacatum disting. inter *indigenas & peregrinos.* Indigenæ in verâ nostrâ *ὑποίωσ* Christianâ Lutheranâ religione, nati, baptizati ac educati, eandem quoque ad vitæ usque extremum halitum, ut veri christiani, summâ animi gratiarum actione, strictè conservare ac defendere debent; Quoad peregrinos, certâ de causâ, in Reip. pacatâ degentes diversarum religionû, disting. inter *personarum, privatim de religione verâ sentientium diversum, tolerantiam, & publici diversæ religionis exercitiij concessionem*; ex illa nullum oritur Reip. incommodum, hæc autem ei valde est perniciofa. Ideo non publicum sed

solum privatum Religionis exercitium eis concedit, pius Magistratus; cui nec interesse debent veræ religionis confessores, quorum officium est, depositum sanæ doctrinæ, cujus in conscientia quilibet convictus est, ita custodire, ne ullo modo poluatur, imminuatur aut omnino amittatur; id quod per incautam cum ijs, qui religioni veræ adversantur, conversationem fieri potest. vid. Ordinant Eccles. Reg. cap. 1. §. 1. 2. 3. 4. & 5.

(b) Circa statum turbatum, disting. inter *Heterodoxorum pluralitatem, & Orthodoxorum paucitatem*. Præstat tolerare plures heterodoxos, quàm quidquam tentare cum Ecclesiæ veræ, licet exiguæ, imò regni aut subditorum, extremo periculo. Sic Nauclerus oborta tempestate prudenter obliquare solet cursum, mutatâ sæpè velificatione. Medicus in gravissimis morbis, humores putres non agitat, sed tolerat, ne vitæ insidias struant.

(c) Circa statum Reip. utrumque & Pacatum & turbatum, disting.

1. *Inter potestatem liberam, ac magistratus restrictam*. Potestas nullis certis pactis aut conditionibus implicata, non tenetur varias sectas tolerare; quæ verò per pacta obligavit sese, perque certas conditiones, ad tolerandum Religionem miscellam, est quod stet promissis.

2. *Disting. inter homines diversæ religionis pacatos & pacificos atque seditiosos & turbulentos*; illi spe conversionis & emendationis, pacis Publicæ causâ possunt tolerari; at non hi.

3. *Disting. inter qualemcumque Religionis diversitatem, & publicas blasphemias, vereque religionis execrationes*; hæ tollendæ penitus, illa, certis de causis admittenda ac toleranda.

4. Di-

4. *Diffing. inter pacem politicam, ac syncretismum, seu religionum mixturam.* Inter subditos, diversis religionibus addictos, pacem politicam sancire potest Princeps; sed syncretismum, aut religionis mixturam, salvâ conscientiâ, nequaquâ introducere debet. Levit: 19: 19. Deut: 22: 9. 2. Cor: 6: 14. &c. Apoc: 3: 15.

Quæ observanda contra peccantes in excessu, haud inviti quæ plures in unâ republ. admittunt religiones, ut, referente Camer. Turcarum Solimannus, aspiciens varios flores suo in horto, dixit: *quemadmodum ista varietas herbarum ac florum non solum nihil obest, sed mirificè oculos ac sensus recreat Sic in imperio meo, diversa religio ac fides potius usui est, quam oneri, modò pacatè vivant; tum in defectu, pontif. Et alios, plures in Republ. sine omni circumstantiarum consideratione, religiones non admittentes, eò quod Deus in republ. Israeliicâ unam religionem saltem, unum templum admisit. Et libertas credendi, sit libertas errandi.* Et quæ sunt similia. At medio tutissimus ibis, observatis, hocce in passu, observandis

#### THESIS XI.

*Sanctitas est affectio Religionis, inferens conformitatem cum voluntate Dei sancta in verbo revelata.*

I. *Ratio formalis* hujus affectionis duplicem nobis sistit respectum, inferendo congruentiâ, I. *cum bona Dei voluntate*, quâ ipse ab æterno à seipso, uno constantiqvè liberrimo actu, vult omne bonum ab intellectu cognitum, adeoque ut Deus summe purus, mundus & sanctus, ut omnis alius, ita quoque ipsius sanctæ Religionis, est puritatis ac sanctitatis auctor. Et siquidem hæc bona ac sancta Dei voluntas, nostrâ salute per sanctâ hanc religionem promovendâ, nobis à natura est abscondita, soli verò Deo nota, ideo, aditur, 2. *quod sit in verbo Dei revelata.*

2. Est autem religio *γνησία*, Christiana, sancta:

(a) *Originaliter*; Quia causa efficiens principalis Religionis est ille Sanctus Sanctorum, Elai: 6: 3. imò Sanctissimus, Dan: 9: 24. qui factus est nobis sanctificatio, 1. Cor: 1: 30.

(b) *Ministerialiter*, quia plantata, propagata ac conservata, ipsa vera religio est, à veteris & Novi Test. Sanctis Dei hominibus. 2. Pet: 1: 21.

(c) *Materialiter*; Quia religio continet res sacras h. e. sacra fidei dogmata, sancta vitæ præcepta, Sanctorumq; vitas, Psal: 105: 42.

(d) *Formaliter*; Nam sacra est congruentia ipsius religionis cum Sanctâ Dei voluntate, ut antea dictum, verbo revelatâ, ejusdemque verbi ac sacrae scripturae, cui innitur ut fundamento, ipsa religio, est sacer sensus ac amicus consensus. Ita ut Emphaticè loquitur Lucas c. 1: 70. quod *Deus loquutus sit per os*, non per ora, Sanctorum suorum. Et hoc privilegio solus codex Biblicus, sive scriptura sacra canonica, præ omnibus scriptis profanis, gaudet,

(e) *Finaliter*; Quia Spiritus Sanctus in & cum religione Sanctitatem exigit, Lev. 11: 44. 45. 1. Pet: 1: 15. Plal: 77: 14. atq; ad Sanctitatem perducit, in hâc vita inchoatam, & magis magisq; augendam, Apoc: 22: 11. in futurâ ac beatâ vero vitâ, ad Sanctitatem perfectam ac consummatam. Ephel: 5: 27.

(f) *Actualiter*; Quia Christiani & verè religiosi *serviunt DEO in Sanctitate & justitiâ, coram ipso omnibus diebus vite sue*, Luc: 1: 75. *Perficientes Sanctitatem in timore Dei*. 2. Cor: 7: 1. atq; Sacra Dei non tractant *ἀνίπτοις χερσίν*, illotis, ut ajunt, manibus, sed piè ac sanctè,

3. Uti

3. Uti Thesis 10. abundè probavit Nostræ religionis Lutheranæ veritatem, quod illa sit, ac in rei veritate est *ὑποκρίσις* Christiana ac vera religio; cum sint synonyma, *Religio Vera, Christiana, Lutherana*; ita ejusdem quoque Sanctitas, ex jam, jam, hacce in Thesi II. allatis, facilis est probatu.

*Quacumque religio pro origine ac principio essendi DEUM Sanctum, pro cognoscendi verò principio, fundamentum Doctrinale, ipsum verbum Dei Sanctum, Sanctis Dei hominibus divinitus inspiratum, ac in sacris monumentis literarum consignatum agnoscit, cum Sancta Dei voluntate verbo revelata congruit, ad Sanctissimum finem ac effectum dicit, illa religio est Sancta; At religio Lutherana talis est; Ergo religio Lutherana est Sancta. quod erat demonstrandum.*

4. Imò ipse celeberrimus Theologus Doct. Kromajerus, in scrutin. Relig. Disp. 13. pag. 327. probat potissimum ratione objecti, (interim reliquis causis non exclusis, sed inclusis) quod religioni convenit sanctitas: quod & sacra dogmata tradit, & ad vitæ Sanctimoniam, certis præceptis adhortetur. In duobus quibus punctis, credendis nempe & faciendis, totus noster versatur Christianismus. Ex hisce deinde deducit Sanctitatem nostræ religionis, dicendo: *Sanctitatem objectum sive, dogmata religioni Lutherana conciliant: quippe, quæ à Sanctissimo Dei verbo profecta, nil nisi Sancta mysteria, & ad Vitam Sanctè agendam comparata præcepta, ab omni hærescos ac prophanitatis labe pura continent.* pag. 330. Th. 21. unde fluit hoc

*ἡθροισμα.*

*Religio Lutherana non est damnanda ob delicta aliquorum, cum non Sancta.*

1. *Natura Impietatis est*, inquit Brentius hom. 89. in Joh. ex uno aut altero privati hominis delicto universam professionem & religionem condemnare. Cujus rei exemplum etiam hæc nostrâ tempestate editur. Nam cum nonnulli qui Evangelium, de Jesu Christo profitentur, impuram vitam ducant: statim tota Evangelii doctrina in Calumniam rapitur & condemnatur. Peccant quidem gravissimè, qui impuritate Vitæ suæ occasionem impiis dant religionem calumniandi: attamen ineptissimè adeoq; impiissimè agunt, qui ex hujus aut illius, sit cujuscunq; conditionis, hominis delicto, totum doctrinæ ac religionis genus damnant. Quodnam enim tam pium, tam Sanctum, ullum doctrinæ genus extat, inter cujus discipulos non reperiuntur quidam mali? aut, quæ vitæ conditio tam honesta est, in quâ non magna hominum pars inhonestè vivat? Scilicet ergo, quia Cain occidit fratrem suum Abel, num ideo ipsa fraternitatis cognatio sit damnanda, aut omnes fratres sint homicidæ? Num, quia David Rex & Propheta designavit adulterium & homicidium; Ideo totus Regius & Propheticus ordo, imo totus Reipubl. Israelitæ status sit conculcandus, sit condemnandus? Num, ideo, quia Judas Apostolus fuit fur ac proditor; Apostolica tota doctrina sit furti ac prodicionis accusanda, ac omnino negligenda? quid hisce ineptiis ineptius? quid hisce judiciis iniquis iniquius?

2. Ideo, præter observationes huic rei inservientes, pag. 18. num. 2. & 3. allatas antea, Distingv. 1. inter scandala & vitia, quæ sunt ipsius doctrinæ & religionis per se consecraria, & inter ea, quæ per accidens consequuntur religionem ac doctrinam occasione non datâ, sed à pravis hominibus. Prioris generis vitia & scandala in religione Lutherana inveniri negamus &



& pernegamus. Nécessitatē enim bonorū operū districtē urget, & ad vitā morūq; Sanctitatē quotidiē adhortatur: ita tamen, ut ne extra terminos divinitus constitutos, doctrina illa operum protrahatur. nec dubium est, quin *Sanctum Deus sibi semen servet, & verbum suum ad se redire vacuum non sinat*, Esai: 55: 11. Posterioris verò generis vitia & scandala in Relig. Luth. inveniri, faciles pro dolor, teste ipsa experientiâ, damus. Verum hæc non religionis culpa est, sed hominum male viventium, quos condemnat religio nostra ac emendare studet. Vitæ hæc profanitas non ipsi religioni *per se* Sanctæ, sed *abusui* religionis *per accidens*, in quibusdam tribuenda.

Disting. 2. *inter fidem quæ creditur, seu dogmaticam & objectivam, atq; fidem quæ creditur, seu subjectivam*; Impii, externē in verâ ac religione sanctâ viventes, amiserunt fidem salvificam, quæ creditur in Christum; at non fidem dogmaticam & objectivam, quæ creditur; nam vivunt in gremio Ecclesiæ, ubi vera ac sancta religio viget ac exercetur. Inde non sequitur, eos religionem non habere, aut perversam habere; sed religione verâ ac sanctâ, ad effrenem licentiam & dissolutam vitam, abuti.

Disting. 3. *Inter puritatem ac Sanctitatem doctrinæ, atq; Ecclesiæ Lutherane.* Doctrinæ ac religionis Luth. sanctitas satis superque est clara ac manifesta; nam profana, impia, scurrilia aut quæ à sanctitate vitæ abducunt, nec tractat, nec mandat, sed severissimè prohibet, verum urget atq; commendat *legem sanctam, mandatum sanctum, justum ac bonum*. Plal: 34: 12. 13. 14. 15. 16. 17. 1. Pet: 3: 10. 11. 12. Esai: 1: 17. Rom: 7: 12. Epist. Jud. vers. 20. in Ecclesia verò Lutherana visibili, est cœtus mixtus ex bonis & malis, sanctis & non sanctis. Sunt, eò pejus, & mali Ecclesiæ Ministri ac perversi auditores. De jure sancti ac ir reprehensibiles

biles omnēs esse deberent; tamen eventus divinæ intentioni, non semper respondet, adeo ut de facto mali reperiantur mixti bonis. Esai: 5: 2. Matth: 7: 21. c. 13: 24. 47. 49. Rom: 6: 6. 1. Tim: 3: 15. suntq; membra Ecclesiæ non vera sed mortua. Sunt in Ecclesiâ ratione externæ professionis, veræ & sanctæ fidei ac religionis, audiunt verbum Dei ac utuntur sacramentis, in cœtu vocatorum, cum sanctis & piis; interim non sunt de Ecclesiâ, respectu internæ conditionis, veræ in Christum fidei ac electionis, 1. Joh. 2: 19. Joh: 15: 29. sicut sunt sancti ac pii sanctitatem doctrinæ sanctæ servantes.

Nec Religionis Sanctitas polluitur, in recensendis impiorum ac sanctorum delictis. Nam:

Disting. 4. *Inter delictorum commissionem atq; eorundem historiam relationem ac signationem.* Iplæ execrationes Jobi diei nativitatis, Job: 3: 1. Judæorum blasphemiam in Christum, Joh: 8: 48. repugnant quidem Dei & religionis Sanctitati, sed non signatio earundem, facta non ad imitationem, sed ad cautionem & vitiationem, ut videamus, Sanctos non esse absque peccatis, atq; quàm efficax latan est in filiis tenebrarum.

Disting. 5. *inter infirmitates vite quoad externam conversationem, ut Propheta & Apostoli fuere homines, errantes in facto aliquo speciali; atq; inter errores doctrine, quoad eorundem prædicationem & scriptionem, ut Spiritum Dei habentes, ac ex ejus immutato afflatu loquentes.* Priori modo interdum aliquid humani passi sunt; posteriori verò minimè à religionis Sanctitate aliquo errore deflectere potuissent. Sic Nathan institutum Davidis, de ædificando templo, inconsulto Domino, ut homo approbando erravit, non vero ut *ἰερόνυμος* in prophetando, cum hoc peccatum & animi præ-

præcipitantiæ statim à Jehovâ fuit correctâ. 2. Sam: 7: 3. 4. Ita Petrus erravit, non in prædicatione ac sanctitatis cognitione; sed in practica usurpatione, & conversatione, Gal: 2: 15. & seq. Qvi nævi, lapsus & vitæ infirmitates, Sanctorum Prophetarum & Apostolorum, ex ingenitâ originali corruptione ortæ, nihil derogabant Sanctitati religionis; cum sancta, sana & integra fuit ipsorum doctrina. Nam erat mens & lingua eorum, quasi plectrum ac calamus ipsius Spiritus Sancti, dantis quod loquerentur, & loquentis in ipsis, Matth: 10: 19. adeoque ducentis eos in omnem veritatem, Joh: 16: 13.

Hoc confectarium ita expositum, observandum contra Audianos, Novatianos & Catbaros, Puritanos, Donatistas, Anabaptistas, Labadistas, Photinianos & Pontificios, omnesque alios fanaticos spiritus, quos Spiritus Dei bonus demum deducat in viam rectam! Psal: 143: 10.

## THESIS XII.

Perfectionis singularitas est affectio religionis continens omnia sufficienter, quæ ad fidem & vitam Christianam scitu sunt necessaria ad salutem.

I. Ratio formalis hujus affectionis consistit in sufficientiâ, ex verbo Dei scripto haustâ, non quidem absolutâ omne scibile divinum & supernaturale comprehendente, quæ Ecclesiæ in his terris militanti, cui religio destinata est, non competit; sed restrictâ seu relativâ, secundum quam religio omnia quæ ad fidem, vitam piam, atq; salutem promovendam & consequendam requiruntur, plene & perfecte continet. Quod sequentibus rationibus satis probatur:

I. A scripturæ sacre dictis, quæ commendant veræ religionis perfectionem ac sufficientiam, (a) certis elogiis, (b) Severis interdictis, (c) omnium completis contentis.

(a) *Lex Domini perfecta reducens animas.* Plal: 19: 8. Vocatur lex Dei Themimah, *ἄωωω*, perfecta, immaculata, integra, quatenus nullus defectus rerum credendarum & agendarum in eâ datur, quatenus ei nihil deest, quod scitu sit homini salvando necessarium, vel faciat ad hominem perducendum à morte ad vitam, à tenebris ad lucem.

(b) *Est interdictio divina*, quod nihil addi, nihilq; demi debeat ejus verbo. Deut: 4: c. 12: 32. Prov. 30: 6. Eccles: 12: 11. 12. Apoc: 22: 18. 19.

(c) *Omnium completa contenta, ad fidem, vitam & salutem scientia, continent dicta:* 2. Tim. 3: 15. 16. 17. Rom. 15: 4. Ubi perfectio sacræ scripturæ, unde vera religio, tanquam principiatum è suo principio, est deducta, laudatur: 1. *à veræ & solide sapientiæ collatione*, quæ est objectiva fides, quæ creditur, seu vera religio, continens credenda & facienda; 2. *Fidei accensione*, quæ est fides subjectiva, quæ creditur, firmâ fiduciâ in Jesu Christi meritum; 3. *ab, ad salutem, deductione.* Salus enim est finis fidei, 1. Pet: 1: 9. ad quam deducimur per sapientiam, quam scriptura docet, quæ in fide Christi consistit; quæ ad salutem informatio & institutio comprehendit sub se quinque actus: 1. *διδασκαλίαν*, veritatis confirmationem, 2. *ἔλεγχον*, falsitatis confutationem, 3. *ἐπανόρθωσιν*, vitæ ac morum correctionem, 4. *παιδείαν ἐν δικαιοσύνη*, ad justitiâ inforimationem, 5. *παράκλησιν*, consolationem. Qui S. Scripturæ actus & fructus ulterius explicandi, circa religionis utilitatem. Insuper quoque Lucas cap: 1: v. 1. dicit: *Vilum est, scribere omnia diligenter.*

II. *A ratione canonis*, Religio Sacram Scripturam agnoscit canonem, non nam ac regulam fidei ac morum, ad quam omnia in religione, fide & cultu divino exigenda & ex-

ami

aminanda sunt. Gal: 6: 16. Phil: 3: 16. *Quod imperfectum est, nunquam rectè amissis ac regula appellatur nominibus, inquit Basilius. idem docuit Plato Polit. 6: ἀπὸ τῶν ἕδων ἔδειξεν μέτρον.* Quidquid imperfectum est & mancum nullius rei potest esse mensura. Perfectio verò Canonis religionis Christianæ consistit in plenâ informatione, & sufficienti directione, hominis viatoris in viâ salutis. Ea itaq; perfectio religioni γνησίως christianæ competit & debetur, ut sufficienter contineat omnia, quæ homini ad Cœlestem Patriam contendenti, ad finem illum ultimum supernaturalem obtinendum, sunt necessaria. Absit, ut dicatur aliquid, in ipsâ religione, esse de fide, quod canone fidei & scripturis canonicis non exprimatur; aliquid de Patris Cœlestis supremâ voluntate, quod ejus Testamento certissimo, non contineatur; aliquid necessarium ad salutem, quod verbo Dei literis consignato non definiatur. *omne consilium Dei paulus annuntiabit, act. 20: 27. omnemque suam prædicationem intra circulum sacrarum scripturarum continuit. act. 26: 22.*

III. *Ab immotis ratiociniis:* Si nullum potest dari dogma, ad salutem creditu necessarium, quod in scriptura non contineatur, vel expressè & ρητῶς, seu quod literam, vel implicite & ἄσπονηκῶς, seu secundum rem & sententiam, ita ut per bonam consequentiam inde elici possit, sequitur religionem γνησίως christianam, è sacrâ scripturâ deductam, esse perfectam; sed verum est prius, ergo & posterius. Antecedens hæcenus infringere non potuerunt adversari. Quæ enim in contrarium afferunt dogmatum exempla, illa vel quoad literam & sonum, vel quoad rem & sensum, in scripturis extant, vel talia sunt, ut citra salutis jacturam ignorari possint, vel deniq; talia, quæ vel ipsi, ex myrothesio suarum traditionum, haurire & proferre nequeant.

K;

IV.

IV. *A certis Testimoniis.* Sufficiunt hæc duo: 1. est Bafilii: *Manifestus est fidei lapsus, & liquidum superbia vitium, vel respuere aliquid eorum, quæ scriptura habet, vel inducere quicquam, quod scriptum non est.* 2. Est Pepini unius Theol. ex ipsis Pontificiis, omnes suos sociennos, sacræ scripturæ olores & rofores condemnantis, quando inquit: *Sola hæc scriptura (unde hausta est vera religio) docet perfectè & planè, quid credendum, ut sunt articuli fidei, quid agendum, ut sunt divina præcepta, quid fugiendum; ut sunt vitia, quid timendum, ut sunt æterna tormenta, quid appetendum & desiderandum, ut sunt Cœlestia gaudia.*

2. Quod verò nostra *γνησίως* christiana, vera & sancta, ut antea dedimus probatum, Lutherana Religio, quoq; sit perfecta & sufficiens ad Salutē, hocce argūento facile evincitur: *Quæcumq; Religio, ex verbo Dei scripto, fidem salvificam generat, per fidem salutem offert, fidei fructus urget, docet & profert, illa est Religio Perfecta, & ad salutem sufficiens; at Religio Lutherana, ex verbo Dei scripto fidem salvificam generat, per fidem salutem offert, fidei fructus urget, docet & profert; Ergo Religio Lutherana est Perfecta & ad salutem sufficiens. Vel ita: Quæcumque Religio, plenè, perfectè & sufficienter, continet omnia, quæ ad fidem & vitam Christianam, scitu sunt necessaria ad salutem, illa est perfecta; at Religio Lutherana, plenè, perfectè & sufficienter continet omnia, quæ ad fidem & vitam christianam, scitu sunt necessaria, ad salutem; Ergo Religio Lutherana est perfecta.*

Πόσιον.

Deo summè perfecto nulla adscribi potest, nec debet, imperfectio aut defectus.

Est namq; Deus noster gloriosus summè perfectus, & (a) *subjectivè*, ut *neg. in eo*, & (b) *effectivè*, ut *neg. ab eo* possit esse aliqua imperfectio aut defectus.

(a)

( a ) *Non Subiectivè, aut in Deo est aliqua imperfectio, quia Deus est ἀυτοτελής, per se absolutus, consummatus, & sibi ipsi sufficiens, cum perfectio summa sit defectuum omnium negatio, & ὑπερτέλής, omnem perfectionem creatam excedens.*

( b ) *Nec, effectivè, aut à Deo est aliqua imperfectio, cum perfecta & sufficiens causa producat perfectum & sufficientem effectum. Jacob. 1. 17. Ergo nec religio est imperfecta aut ad salutem insufficientis, cum à Deo summè perfecto sit profecta & dependeat; Nec indiget ad sui ulteriorem perfectionem, additionibus, inventis, aut traditionibus humanis ἀγράφοις & non scriptis, pari cum verbo scripto, religionis Principio, auctoritatis eminentiâ afficiendis. idq;*

*1. Propter verbi non scripti & scripti Identitatem. Ut idem est homo, sit sive nudus, sive vestitus; ita unum idemq; est Dei verbum, & quod Prophetæ ac Apostoli, per divinam inspirationem edocti, vivâ voce prædicârunt, & quod per literas & characteres in chartâ signarunt & expresserunt. Diversitas modi proponendi & communicandi, qui est vel oralis traditio vel scriptio, non infert diversitatem obiecti, vel materiæ in verbo tradito & scripto contentæ. Adeoq; verbum Dei ἔγγραφον, seu scriptum, à verbo Dei ἀγράφω, ἢ non scripto, seu tradito & prædicato, non differt realiter, nec est divisio illa generis in suas species, vel totius in uas partes integrantes, sed subiecti duntaxat in sua accidentia. Dicuntur enim τὴ ἀύτῃ, eadem; & vivâ voce tradita & deinde scripta. Phil. 3. 1. Act: 15: 27. Per τὴ ἀύτῃ non intelligitur idem communicandus modus: sed Doctrinæ identitas. 1. Joh. 1: 3. 4.*

*Hâc distinctione explicantur, varia dicta scripturæ, per-*  
*verse*

versè à Pontif. contorta, ut; 2. Theff. 2: 15. 1. Tim: 6: 20.  
2. Tim. 1. 14. &c.

II. Propter scripturæ S. sufficientem utilitatem. 2. Tim: 3: 16.  
Cum dicunt Pontificii: utile non statim est sufficiens. Tum disting.  
inter το ωφέλιμον seu utile ὀλικόν totale quod universaliter, adæ-  
quatè & completè, ordinatur ad finem destinatum; Et μερικόν  
partiale, quod est incomplete & inadæquate tale. Hoc loco, Pau-  
lus intelligit utilitatem adæquatam, totalem & sufficien-  
tem, quæ omnem omninò indigentiam aufert; non verò  
inadæquatam & partialem, quæ aliorum adminiculo, ad  
indigentiam tollendam indiget. Nam vocula θεόπειρος  
deducit nos ad scripturæ auctorem, qui ut ipse est perfe-  
ctissimus, ita quoq; perfectissimi operis, religionis ipsius,  
effector,

III. Propter Distinctionum claritatem: Dist. 1. inter additio-  
nem ob defectam aliquem dogmatum supplendam, & additionem  
ob clariorem dogmatum expositionem. Libri & veteris & novi  
Testamenti, post scripta Mosis, sunt additi, non ad Do-  
ctrinæ defectum supplendum, sed ad clarius eandem ex-  
plicandam, non cernitur heic diversum aliquid specie sed  
numero. Nec Testamentum novum aliquid diversum spe-  
cie tradit, sed ut vetus est novi fundamentum, ita novum  
veteris est complementum. Dist. 2. Inter Traditiones Aposto-  
licas & Apostaticas, has, ut sunt historicæ, rituales ( absq;  
superstitione ac opinione meriti, ) exegeticæ, scripturæ  
sacræ conformes, & testificatoriæ, non relinimus, sed illas,  
nempe dogmaticas ἀγράφαις & ἀνιγράφαις.

2. Quod observandum contra varias sectas Præcipue vero  
Traditio eum humanarum fabricatores callidos ipsos Pontificios.  
Cum interim: Dictio, dicta perit litera scripta manet.



THESIS XIII.

*Antiquitas est affectio Religionis, quatenus ab aeterno est concepta in mente Dei de nostræ salute, tempore revelata ac monumentis literarum consignata.*

I. Ratio formalis hujus affectionis probat Religionis *antiquitatem* &, (a) *quoad intra* & (b) *quoad extra.*

*Quoad intra* (a) *quidem ab ejusdem aeternitate.* Uti enim ipse *DEus est aternus*, inferens indefectibilitatem & a parte ante & a parte post, hoc est *principio & sine carens*, Gen. 21: 33. Esai: 40: 28. Dan: 6: 26. Rom: 16: 26. Apoca: 4: 9. 10. Job. 36: 26. Psal: 102: 26. 27. 28. Ita quoque Religionis principium *verbum Dei est aeternum*, idque & a parte ante, quatenus est unicum mediū respectu Dei nostræ electionis ad salutem, ab aeterno factæ & in mente Dei conceptæ, (sicut fides salvifica, prævisa quoque ab aeterno, media destinata ad salutem apprehendens respectu nostri) 2. Thessal 2: 13. 1. Petr: 1: 2. & a parte post, quatenus *verbum Dei manet in aeternum*, Esai: 40: 8. 1. Petr: 1: 23. 25. Licet cessabit verbum Dei, cessante regno gratiæ, circa finem mundi, ratione externi præconij, 1. Cor: 15: 24. durabit tamen in aeternum in regno gloriæ, ratione beneficij, antea quidem promissi, Rom: 8: 24: Jacob: 1: 21. ibi vero perfecte obtenti, 1. Co: 13: 10. 12. *Quoad extra* (b) *a manifestationis penes homines vetustate.* Antiquissimis namque temporibus, initio statim post lapsum facto, & veteris & novi testamenti, hominibus Religio Christiana est successivè revelata, & literarū monumentis consignata. Hinc diversæ solent constitui religionis *Epochæ*. Nos, aliorum harum enumeratione omissa, præeunte ipsa sacra Scriptura, duas religionis Christianæ Constituimus Epochas, veteris (a) nempe

Et novi testamenti, (b) ἐπιγγελίας & εὐαγγελίας, ex objecti principalis consideratione, quod est Messias exhibendus & exhibitus.

Epocha veteris Testam. (a) subdividi potest 1. in Adamiticam, usque ad Abrahamum, quia eousque verbum audibile tantum in Ecclesia viguit. In hac Epocha Prima, pro Evangelium paradisiacum de Messia, cum primis inculcatum fuit. Gen: 3: 15. 2. in Abrahamiticam; ubi post duas universales verbi promulgationes, in Paradiso post lapsum, & per Noham factas, post diluvium, particulariter ad Abrahæ familiam publicum, solemne & ordinarium verbi præconium alligatum fuit, ad quam etiam determinata fuit, Promissio de Profetia Messie Differt hæc Epocha a priori: 1. Expositione uberiori articulorum fidei, 2. Determinatione fœderalis promissionis de Messia ad familiam Abrahæ, 3. Promulgatione novi Medij, per quod itidem ut per verbum fides, gratia & salus conferebatur, nimirum sacramento circumcisionis, & sic verbo audibili, priori in Epochâ inculcato, accessit hoc verbum visibile, quo fœdus solemniter fuit confirmatum. à Gen: 12. ad cap. 22. inclusive. In hac secunda Epochâ viguit Pro Evangelium Abrahamicum, quod ita appellatur, Galat: 3: 8. quia pactum legis præcesserit. Ac, 3. denique in Mosaicam seu Israëliticam, quæ sese porrigit usque ad tempora Messie novi Testamenti. In duabus prioribus hisce Epochis, revelatio immediate Patribus μακροβίοις & ante & post diluvianis facta, potissimum floruit, cujus iuxta tenorem γνησίως Christiana religio divinitus patefacta, in decimam vel etiam vigesimam usque generationem incorrupta, sola allocutione seu viva voce, in Ecclesia Dei fuit propagata; in tertia vero hac Epochâ, revelatio hæc eadem divina, partim expressa (a) scriptione, partim allocutione divina est Mosi & ejus postillatoribus Prophetis, facta & manifestata

stata. (b) *Scriptio*nis augustissimum initium fecit ipse Deus, *Legem* in Tabulis lapideis exarando, utpote, quæ ex scripturis divinis primæ omnium sunt, & præcipue ab ipso filio Dei, qui tum locutus est cum Mose in monte Sinai, consignatæ, Exod: 24: 1. 20. 31. 18. 32: 16. Exod: 20: 1: Act: 7: 38. & quidem circa annum a condito Mundo, juxta calculum calvistianum 2450: vel iuxta accuratiores, 2514. quo ipse Deus consecrare voluit verbi sui transplantandi ad posteros modum, per *scripturas*, eundemque Mose & cæteris sanctis hominibus suo exemplo commendare; quemadmodum id ipsum & jam deinceps est, *mandato ejus expresso* factum. Deut: 31: 29. Esai: 30: 8. Jer: 30: 2. cap: 36: 2.

(b) *Allocutio divina* facta est, tum Mose per *apparitiones, visiones & somnia*, Num: 12. 6. Per *urim & Tumim*, num: 27: 21. 1. Sam: 28: 6. cap. 30: 7. per *oracula & propitiatoria reddita*, Exod: 25: 22. tum *Prophetis* per *inspiraciones ipsi*s datas, 2. Per: 1. 21. perque *scripturas* eorum, quas Spiritus Sanctus per eos ceu amanuenses suos exornarat, non de *novis credendis, aut faciendis*, verum, de illis quæ scripta erant, Deut: 4: 2. cap. 12. 32. ad *quæ etiam Prophetie erant examinande*. Deut: 13: 32. in tertia hac Epocha itaq; Religio Christiana valde clarior & uberior, quam antea fuit exposita & divinitus manifestata, non quidem quoad *substantiam, quæ semper eadem*, sed quod *circumstantia*, partim ratione (1) *Medij*, partim ratione (2.) *modi*. ratione 1. *Medij*, tum *verbi* quod ante *vivæ vocis præconio* solum propagatum fuit, tunc verò, initio *scriptio*nis ab ipso Deo factò, Exod: 31: 18. *intra scripturæ cancellos fuit constructum*, tamen si *oralis* clarior informatio etiam a viris *θεοπνεύστοις* accederet, de *ijsdem fidei articulis & vitæ præceptis*; tum *Sacramenti*, quia accessit *circumcisioni sacramentum agni Pascalis*, Exod: 12. ratione. 2. *modi*: quia *padagogia legalis*, tum cum primis exulta fuit, lege ipsa, quatenus

hominem lapsum respicit ut eum ad *Christum* compellat in forma testamenti redacta & *externo ceremoniarum cultu* cum *legibus forensibus* præscripto, ut illis adumbrarentur beneficia *Messia*, his regeretur populus, ex quo *Messias* oriri debuit. in tertia hac Epochæ utrumque & *πρό- & ὑπο-εωγγελία* *explicationes Mosaica & prophetica*, quibus promissiones de *Messia* uberius declaratae novis adjectis circumstantijs, aliisque clarius expressis, viguere. omnes Tres Epochæ namque *Christum* respexere, Rom: 10: 4. Ebre: 13: 8. 1. Pet. 1. 11.

(b) Epochæ novi Testamenti commendat revelationem factam, per *apparitionem Filii Dei in carne*, qui *υἱοπαῖος ὁπῶος* in assumpta humana natura, ministerium præconij subiit Religionem Christianam propagavit, voluntatem Dei annunciando, Joh: 1: 18. Matth: 11: 27. & postea *Apostolos* eo fine in orbem terrarum emisit, qui immediato Spiritus Sancti afflatu agitati, non tantum *viva voce* religionem Christianam docuerunt, verum etiam *sacrarum literarum monumentis* verbum Dei propagarunt: Quarum initium sub N. T. factum est non ab uno quopiam Apostolo, sed coniunctim ab omnibus per literas synodicas Act: 15: 19. descriptas. Ut autem post absolutum canonem veteris Testamenti Prophetarum, nullæ amplius revelationes, divina fide credendæ, de rebus fidei facte sunt, usque ad primum Christi adventum: Ita nullæ etiam post absolutum canonem scripturæ novi Testam. Apostolicum, expectandæ veniunt divinæ revelationes, quæ fide divina acceptandæ sint, idque ad ultimum Christi adventum, finem impositurum Epochæ novi Testam. Secus atque *Enthusiastæ, novelli Propheta, Phanatici spiritus, itemque Pontificij, visiones & apparitiones Angelorum iactitantes,*

*hi etiam traditiones extra canonem scripturae venditantes, somniant.*

Ex harmonia Epocharum utriusque Testamenti, & (a) *Antiquitas*, & (b) *unitas* seu *identitas* religionis veteris Christianae, facile, facis ac superque, elucescunt. (a) *Antiquitas* probatur tum à causâ in actu positâ, divina nempe revelatione, de reparatione generis humani post lapsum Protoplastis facta, Gen: 4: 1. ac deinceps ad Patriarchas, Abrahamum imprimis ac posteros ejus repetita: atque à Christo, per quem ἐπισημαίνων τὸν ἡμέτερον locutus Deus, Ebr: 1: 1. confirmata penitus ac stabilita; tum ab effectu, Quod primi parentes, & ab illis progeniti Abel, Gen: 4: 4. Ebr: 11: 4. Seth ejusque filius Enos, Gen: 3: 25. Enoch, Gen: 5: 24. Ebr: 11: 5. atque ita consequenter ceteri patriarche, ac sancti Dei homines, in Veteri ac Novo Testamento, Deum coluerint ac vitam divinam traduxerint. Rationem ergo habuerunt Deum colendi, vereque ad eum perducti sunt.

(b) *Unitas* seu *Identitas* ostenditur ab una eodemque salvandae ratione, atque modo ad Deum preveniendi, in utroque Testamento. Adami enim religio post lapsum, & caeterorum Patriarcharum, ac populi Dei in vet. Testam. non fuit alia, quantum ad substantiam, à religione Christiana in Nov. Testam. etsi quoad circumstantias nonnullas discrepantia detur: Ut pote quod illa Christum exhibendum respexerit, haec Christum exhibitum: illa praedictionibus typis & umbris constiterit, haec complementi testificationibus & corpore ipso gaudeat. Illa pro distinctis temporum intervallis, oraculis, sigillis & ceremonijs variantibus distingvi potest, sed ideo multiplicari non debet: quum non sit nisi unica vera religio, quâ ad Deum deducitur homo, eaque Christiana, omnibus temporibus patefacta, alijs obscurius, alijs clarius. Joh: 14: 6. c. 17: 3. Act: 4: 12. 1. Pet: 1: 10. nosque eadem gra-

*via Domini nostri IESU Christi, cum Patribus P. T. Act: 15: 11. eadem fide cum Abrahamo, Patre Credentium, Rom: 4: 16. 23. alijsq; Patriarchis, Heb: 11: 4. seq. servemur. Quod observandum non solū contra Joh. volchelium, Photinianum, restringentem religionem Christianā ad novi Testam. tempora, aliamque facientem Religionem primi mundi, Adamicam sc. ab Adamo usque ad Abrahamum, aliam Abrahamicam, ab Abrahamo ad Mosen, aliam Mosaicam, a Mose ad Christum, aliam denique Christianam, l. 2. de ver. relig. c. 8. verum etiam eundem fermè errantes ergorem, Pelagianos, quosdā Pontificios, Socinianos, Arminianos, Anabaptistas, schvenskfeldianos, Weigilianos, ac Novatores, qui identitatem modi salvandi. tollunt atque impugnant. Quod verò una eademque sit Religio, ac via ad salutem & in veteri & in novo Test. Probavimus, Disp. 1. Thes. 2. pag. 5. 6. 7. ac uberius Disp. 3. πορ. 1. pag. 43. 44. 25. 26.*

*Quod quoque & hæc affectio nempe Antiquitas sit, nota characteristicam Lutheranae, tanquam veræ ac unicè salvificæ religionis, hocce immoto ratiocinio probatur: Quæcunque religio, ut est ab æterno in mente DEI concepta, de unica viâ salutis per Christum. Adamo in paradiso statim post lapsum, ac reliquis veteris & Novi Testamenti sanctis DEI hominibus revelata, atque certo tempore, jussu DEI, à Mose, Prophetis & Apostolis, monumentis literarum consignata, ita ad nos quoque est deducta, illa Religio est Antiquissima; At religio Lutherana, ut est ab æterno in mente DEI concepta, de unicâ viâ salutis per Christum, Adamo in Paradiso statim post lapsum, ac reliquis veteris ac novi Testamenti sanctis DEI hominibus revelata, atque certo tempore, jussu DEI, à Mose, Prophetis & Apostolis, monumentis literarum consignata, ita quoque ad nos est deducta; Ergo religio Lutherana est antiquissima. Vel ita brevius: Quæcunque religio innititur æterno DEI verbo, revelato & scripto, illa est antiquissima;*

at religio Lutherana innititur aeterno DEI verbo, revelato & scripto; Ergo religio Lutherana est antiquissima, undè fuit hoc.

Πόρισμα.

Religio Lutherana est antiquissima, ergo verissima.

Antiquitatem Religionis nostræ, veræ ac γνησίας Christianæ, seu utriusque Argumenti minorem propositionem hæc probant rationes:

1. *Verbi Dei veritas.* Religio namque nostra pro origine ac principio essendi agnoscit *Antiquum Dierum, aeternum, verumque Deum*, Dan: 7: 9. Esai: 40: 28. 1. Thess: 1: 9. pro principio vero cognoscendi, fundamentum Doctrinale ipsum *aeternum ac verum Dei verbum*, Esai: 40: 8. Psal. 119: 43. *quod ipsa est veritas*, Joh: 17: 17. sicut & *Deus ipse est quoque ipsa veritas* Jerem: 10: 1. non solum, καὶ ἔσω, ad intra, simplici. ter & in seiplo, verus Deus, & exemplar omnis Entis veri; verum etiam καὶ ἔξω, ad extra & respectivè, in suis verbis, promissionibus & comminationibus, Psal: 33: 4. 9. Psal: 7: 12. 13. 14. Quidquid autem cum scriptura concordat verè antiquum est, licet paucis sit cognitum, contra ea, quidquid ab ea discordat novum est, tametsi multis seculis fuerit auditum.

2. *Religionis identitas.* Religio enim Christiana nequaquam ad Novitantiū Testam. tempora restringenda, ut jam modo dictum, sed ad primam Ecclesiæ originem, ad ipsam Adami ætatem est referenda. Promulgata enim post lapsum in protevanglio, licet sequentibus temporibus, quoad circumstantias variationem quandam sustinuerit, quoad substantiam tamèn ipsam eadem semper permansit. Undè & Apostoli collegerunt testimonia, repetita ab ultima antiquitate inde usque ab initio Ecclesiæ: doctrinam Evangelicam non esse novam, ut nonnullis videbatur, Mar: 1: 27.

Act:

Act: 17: 19. sed unum & idem esse Evangelium, quo omnes sancti omnibus temporibus, ab initio Mundi iustificati & salvati sint. Ratio colligendi talia testimonia, præscripta & monstrata sunt, Luc: 24: 27. Act: 7: 2. seq. Rom: 4: 1. seq. Ebre: 11: 3. seq. Antiquitatem ergo nostræ religionis, ex consanguinitate & conformitate doctrinæ illius, cum scriptis Propheticis & Apostolicis, ipsoque adeo Prot-Evangelio in Paradiso revelato, & per manus nobis tradito rectè deducimus, hoc modo: *λόγια Ἰᾶ Θεῶν, oracula seu eloquia Dei Judeis sunt concredita Rom: 3: 2. ab illis translata ad Apostolos, ab Apostolis & præcipue à Paulo ad Romanos, à Romanis ad nos.* 1. Cor: 15: 1. 2. Ecclesia Romana prius temporibus fuit Pura Virgo, sed postea degeneravit in scortum, Etsi: 1: 21. deficiendo sensim à puritate Doctrinæ, facta est meretrix magna, Apoc: 17. Depravatam ac corruptam hanc apud Pontificios religionem reformavit ipse Lutherus, eamque integritati pristinæ restituit atque singulari DEI gratia ad nos derivavit.

3. *Contrariæ sententiæ nullitas.* Arguunt præcipue pontificij nostram religionem (a) *novitatis* & (b) *absurditatis.* sed hisce obiectionibus factum est antea satis, Disp. 1. Thef. 3. pag. 8. 9. Quibus addimus sequentia 1. *Novitatis* exprobatio nos non turbat, quippe, qui doctrinæ Christi & Pauli obiectam eam novimus, Mar: 1: 27. Act: 17: 19. Afferor enim Lutherus & restaurator nostræ religionis est, non primus auctor vel inventor. Nec Anno demum 1517. cæpit nostra religio, sed una cum scriptura inde usque à principio instauratæ salutis in Mundo fuit, & ad consummationem seculi usque manebit. 2. frustra quoque urgent Pontificii, *absurdum* esse, nullam ante Lutherum fuisse nec Ecclesiam nec religionem, si non apud Romanos.  
Nam



Nam sub ipso Papatu fuit vera religio, & ratione (a) *doctrina*, & ratione (a) *hominum eam consentientium*. (a) *Doctrina* ratione: in codice Biblico, in Pericopis Evangelicis, in Historia Passionis, in Decalogo, in oratione Dominica, in Precibus & hymnis, quos a Pontificiis, ut baiulis scrinarijs nostris accepimus. Unde Lutherus in Commentario suo super Epist. ad Galat. omnia bona in Papatu contineri dicit, sed pontificem diabolicum suum excrementum his ipsis bonis illevisse. (b) *Hominum* ratione, in integris Cœtibus & Ecclesijs particularibus, quæ Pontificiæ tyrannidi sese opposuerunt, ut Affricana, Leidensis, Waldensium, Græcorum in tota oriente: In Imperatoribus, Regibus & Principibus, qui pontificijs contradixerunt: In Doctoribus, confessoribus & Martyribus: In infantibus baptizatis: in Christianis simplicibus, qui profunditates satanæ non intellexerunt, sed simplici fide Christi merito adhæserunt.

5. *Regula singularitas*. Est hoc *πίπισμα* constructum secundum Regulam Nazianzeni: *Antiquissimum quodcumque verissimum*. Operose nimis & usque ad ravim, Pontificij assunt suis superstitionibus titulum antiquitatis, ideo quod tot seculis fuere usurpatæ, nos vero accusant defectiois & novitatis in Religione. Resp. Distingvimus inter antiquitatem a primo, & intermedio aliquo principio ductam. Defecerunt pontificij a primo principio Dei verbo, ergo eorum religio est nova. Nam quæcumque religio a Deo & ejus verbo dissentit, ea est falsa ac proinde nova, utut aliqua seculorum antiquitate gaudeat. Nec quodvis antiquum est verum, nam & Pater Mendacij omnes homines antecessit: Religio vero nostra est vera, quia innititur verbo Dei, atque

M

ab

ab eo ducit originem: Nam id antiquissimum est verissimum, quod ante se nihil habet, qualis est ipse Deus & ejus verbum. Quæcunque ergo religio ab antiquitate Auctoritatem petit, videat, ut omnium prima antiquitate, ante quam nihil, gaudeat. Nam cum ecclesiæ & religionis nostræ doctrina ex verbo scripto fuerit probata, vere eis dicimus: *Non nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt.* Nam: *Ecclesia ibi est, ubi vera fides est. Non ille de Ecclesia exire videtur, qui corporaliter exit, sed qui spiritualiter veritatis fundamenta relinquit. Nos ab illis eximus loco, illi a nobis fide. Nos apud illos, reliquimus fundamenta parietum, illi apud nos reliquerunt fundamenta scripturarum.* Patrum ut venerandæ antiquitatis Testimonia, quæ crepant pontificij, magni facimus, in negotio religionis, quod veritati sæpe argumentum perhibeant, non verò quod veritatis infallibile principium & fundamentum sint; quum unum sit fundamentum, divina revelatio, quæ jam non egreditur terminos S. Scripturæ, quæ ut æternum verbum Dei, omnium antiquissima. Ad intellectum divinum exigi debet veritas, non ad ullius hominis sententiam. Ille non hic veritatis norma est. quare quæcunque religio, vel confessio scripturæ congruit, illa vere est antiquissima & verissima. Gratulamur nobis de tanta felicitate: *taliter non fecit omni populo, Halelujah.* Psal. 147: 20.

#### THESIS XIV.

*Necessitas est affectio religionis, quatenus ex ordinatione divina, non potest aliter esse.*

*Ratio formalis hujus affectionis consistit in ordinis divini invariabilitate, idque tum respectu Dei, ordinantis Christianam*  
nam

nam religionem; tum *respectu nostri*, fuscipientis eandem ad salutem, Act: 26: 18. quem ordinem semel decretum ac destinatum, Deus non mutat, Rom: 11: 29. Intelligitur hoc loco necessitas non *absoluta*, sed *hypothetica*, posita Dei voluntate in ordine jam nominato. Potest enim Deus homines immediate absoluta sua potentia, absque religione aliqua salvare, sed non vult, quia *placuit Deo agere nobiscum per verbum ejusque predicationem*, Rom: 10: 14. *Scrutinium*, Joh: 5: 39. *hominesque perducere ad salutem, via doctrine & institutionis*, Joh: 20: 31. Luc: 10: 42. ideoque *Commendatur omnibus divina sapientia divino mandato*, Deut: 6: 7. Prov: 4: 5. Jer: 9: 24. Col: 3: 16.

Πόρισμα:

*Religionis Christiane cura maxime est omnibus necessaria.*  
idque:

I. *Ratione principij*, quod est Deus cognoscendus & colendus. Quæ Dei cognitio & cultus necessario è religione hauriuntur. I. Paral: 28: 9. Matt. 7. 26. Luc: 11: 28. *Primum enim principium & supremus finis hominis Deus est, supra quem nihil, extra quem nihil, sine quo nihil, infra quem nihil: sub quo totum, cum quo totum, in quo totum: A quo omnia, per quem omnia: in quem converti, resurgere est, in quo manere, consistere est: quem nescire mori est, quem nosse, videre est, quem spernere, perire est, cui servire, regnare est.* Præclare ait *Augustinus*, Tom. op. 9. de specul. c. 33. & lib. 1. conf. c. 4.

II. *Ratione præcepti*. Religio ideo est necessaria, ad finem obtinendum, quia est a Deo Præcepta. Deut. 4: 1. 6. 7. & c. c. 30: 16. 19. 20.

III. *Ratione Medij*, Quia Deus finem, nempe hominis salutem vult, ideo vult quoque Medium ad finem du-

cens, veram nempe religionem, juxta Auream salutaris Catenam S. Pauli, ad Roman: 8: 28. 29. 30. 31. *Scimus, quod Deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, ijs qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit & quos vocavit: hos & iustificavit. Quos autem iustificavit: illos & glorificavit.*

IV. *Ratione Termini.* Necessaria est religio ad finem obtinendum. *Qui vel respectu Dei, vel respectu nostri est; Respectu Dei est salutaris ejusdem agnitio, & digna glorificatio.* Ideo enim Deus sese in verbo suo patefecit, ut ab hominibus recte agnitus in hac & futura vita celebraretur. *Respectu hominum, finis est vel intermedius scil. informatio, conversio, fidei accensio, sanctificatio, & ad vitam æternam manufactio, Rom. 15. 4. 2. Tim. 3. 15. 16. Psal. 19. 9. Job. 17. 17. vel ultimus, æterna vita & salus. Job. 5. 39. cap. 20. 31. Act. 13: 29,*

V. *Ratione commodi.* Religio est totius societatis humane fundamentum, Cic. l. 1. de nat. Deo. *Religio est fructum peccati, genetrix honesti. Religio vera est fundamentum civitatis, origo justitiæ & honestatis.* Nam: *male vivitur, si de Deo non bene creditur.* Aug. *Est vinculum legum & honesta disciplina.* Plato. *est causa benedictionis divinæ, nam prout Deum curamus, ita & curamur ab illo.* 2. Paral: 15: 2. Deut. 28. toto. *Neminem Deus deserit, nisi prius deseratur ab ipso,* Bernh.

VI. *Ratione effecti,* quia religio Christiana semper est salutaris. Quem effectum notitia Dei naturalis non gignit, sed sola revelata & supernaturalis; Naturalis namque *θεογνωσία*, sit sive hausta libro ex *Natura*, Rom: 2: 14. seu *Creatura*, Rom: 1: 21. hocce in passu tamen est 1. Valde langvida, ob admixtam in assensione horrendam dubitationem.

2. Est

2. Est imperfecta, si cum revelata Dei notitia legali confertur, quia saltem particulam legis complectitur, Rom: 2: 14. 3. Est proxima nulla, si cum cognitione Evangelica comparatur: quia de mysteriis fidei nihil novit. Facit quidem homines ἀναπολογήτους, inexcusabiles, non vero μακαρίους, Beatos. Ergo Religio Christiana ducit nos perfecte ad salutem. Joh. 17: 3. Sap: 15: 3. Psalms 139: 24. Proinde si quietam & pacatam Rempub. optamus, si felices rerum successus speramus, si nobis & posteritati bene consulere volumus, prima cura sit religionis sinceræ, circa quam & Magistratus, & Subditorum omnium opera occupata esse debet, idque juxta desiderium Bernardi: *Sit hæc mea prima cura, ut te quæram mente pura!* Bene igitur Thales, qui sapientissimus inter septem fuit, æstimavit: *Deos omnia cernere, Deorum plena esse omnia. Fore enim omnes castiores, veluti in famis essent maxime religiosos.*

Hæc affectio religioni nostræ Lutheranae ita potest ac debet applicari: *Quæcumque religio unice ducit homines ad salutem, illa est necessaria; at Religio Lutherana unice ducit homines ad salutem; Ergo religio Lutherana est necessaria.*

#### THESIS XV.

*Utilitas est affectio religionis, inferens plenariam ad omnia sufficientiam.*

Ratio formalis hujus affectionis consistit, in omnigena ac plenariâ ad omnes saluâres usus ac fructus sufficientiâ. 2. Tim: 3: 16. Πᾶσα γραφὴ θεοπνεύτου καὶ ὠφέλιμος. &c. Duo hic insinuantur: 1. *Quis sit sacra Scriptura Auctor.* 2. *Quis sit ejus usus* 1. Auctor S. Scripturæ, religionis fundamenti, est ipse Deus, est enim θεοπνεύτου, divinitus inspirata: Non enim continet doctrinam nobiscum natam, aut ex libris

Gentilium desumptam, aut ex hominis placitis haustam, sed a Deo immediate suis Servis dictatam, 2. Petri: 21. 2. Huic scripturæ *ἡσπνεύσω* tribuit Paulus *utilitatem*, *utilis est*, inquit, *ὠφέλιμος*. Quod exponi potest, non tantum de utilitate & convenientia, ut idem sit ac *χρήσιμος*, verum etiam de sufficientia ac perfectione, ut idem sit ac *ἄωταρκής*, quia *omne sufficiens est etiam utile*, ergo *aliquid utile est sufficiens*. Tunc autem *utile idem est ac sufficiens*, quando *subiecto adjungit specificam differentiam & plenam perfectionem*. Hoc autem fit, cum Paulus dicit: *Scripturam omnem esse utilem*. *Utilis enim est ad omnia, quae hominem pium decent, seu quae ad Christianismum nostrum pertinent, & quibus Ecclesia Minister suo in officio opus habet*. Ergo *etiam perfecta & sufficiens ad efficienda ista omnia*.

*Πόρισμα :*

*Religio Christiana, ob insignem utilitatem, maximi est estimanda.*

In expositione textus alicujus biblici, sit five certi dicti, five historiae ac loci communis, duo quilibet Ecclesiae Minister, Theologiae Professor, ac Studiosus observare debet: Nempe, (a) *veri sensus explanationem*, & (b) *ad suos usus salutare applicationem & accommodationem*. (a) *Veri sensus explicatio* consistit, in clara, perspicua & methodica textus biblici propositione, quo mentem Spiritus Sancti recte assequantur auditores. Ita Paulus inquit, 2. Tim: 3: 15. *A puero sacras literas novisti, quae te possunt σφίσαι, sapientem reddere ad salutem, per fidem quae est in Christo Jesu*. (b) *Textus seu loci communis Theologici genuinè explicati applicatio & ad usus suos accommodatio, debet fieri ad edificationem*. 1. Cor: 14: 26. *usus enim & experientia dominantur in artibus*.

Qui

Qvi usus est quintuplex: nempe, διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανορθώσεις, παιδεία καὶ παρακλήσις. Qvi sic à Theologis solent efferrī: 1. Usus est διδασκαλικός, didascalicus & doctrinalis. 2. est ἐλεγχτικός, elenchticus, seu refutatorius. 3. est ἐπανορθωτικός, dehortatorius, 4. παιδευτικός, adhortatorius. 5. παρακλητικός, consolatorius. 2. Tim: 3: 16. Rom: 15: 4. Qvi quinque usus dispescuntur in duos Theoreticos, ipsam fidem & credenda, atque tres Practicos, ipsam vitam & facienda, concernentes. Quibus duobus capitibus totus Christianismus & ipsa vera religio absolvitur. Primus usus Theoreticus est διδασκαλικός, didacticus, docens cœlestis veritatis cognitionem positive, quando ex verbis & sententiis Sacrae Scripturæ, quæ explicantur, doctrinæ orthodoxæ quoad thesin affirmativam desumuntur & confirmantur, quippe quæ ex illis necessario consequuntur, atque adeo in illis continentur. Alter usus Theoreticus est ἐλεγχτικός, elenchticus, qui docet hæreticæ pravitationis refutationem polemicæ, & quoad antithesin, falsa dogmata redarguendo, & è veris solidisque principiis ac fundamentis refutando. Breviter: διδασκαλία Cœlestem veritatem docet; ἔλεγχος vero eandem defendit, Jer. 15: 19. Tit: 1: 9. 11. Primus usus Practicus est ἐπανορθωτικός, dehortatorius, qui docet vitiorum correctionem, sive operum malorum emendationem. Institutio ad fugiendum malum, En Warning för thet Ondra. Joh: 16: 8. Esai: 58: 1. 2. Tim: 4: 2. Alter usus Practicus est παιδευτικός, adhortatorius, qui docet virtutum informationem. Est institutio ad faciendum bonum. En Förmaning at gōra thet Gōda. Unde patet quod terminus a quo, inculcet Christianis vitiorum odium, terminus vero ad quem, virtutum studiū. Tit: 2: 11. 12. Tertius usus practicus est παρακλητικός consolatorius, qui docet

docet solatium in adversis. Ut in cruce per patientiam & consolationem scripturarum spei habeamus. Rom: 15: 4. Psal: 94: 19. Psal 119: 50. 92. Quod quoque hæc affectio nostræ religioni sit propria, ita facile evincitur: Quæcumque religio ex verbo Dei, sufficienter docet & proponit omnes usus Theologicos, illa est utilissima; at religio Lutherana hoc facit; Ergo.

THESIS XVI.

*Invincibilitas est affectio religionis, quatenus ob immotam veritatem & confessorum constantiam, succumbere non potest.*

Ratio formalis hujus affectionis consistit in non succumbentia. Quæ demonstratur & (a) a veritate immota, & (b) confessorum constantia. (a) *Invicta est religio*, quia cælesti veritate, verbo Dei vero, invicto ac immoto est superstructa, ad finem mundi, imo in æternum duraturo. Idque commune habet cum Ecclesiâ, quam super Petram Christum vel Petri confessionem objective non subjective spectatam, ædificatam, portæ inferorum non superabunt, Matth: 16: 18. *Confessorum* (b) *Fides & constantia* quoque reddit religionem invincibilem. Sunt enim ejus Professores *ἀνιχτοι* immoti & *ἀνιχτοι* invincibiles, ut nulla violentia, nulla fraudulentia, ad veritatem abnegandam induci possint, ut Exemplo Martyres sint ac Testes veritatis.

Pro invincibilitate religionis nostræ Lutheranae sic invictæ argumentor: *Quæcumque religio inicitur invicto DEI verbo, ac confessorum ejus invictæ constantia, illa est invincibilis; at religio Lutherana inicitur invicto DEI verbo, & Confessorum ejus invictæ constantia; Ergo religio Lutherana est invincibilis.*

Lutheranorum namque est proprium atque Symbolum invictum:

VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM.

Isai. 40: 6. i. Pet. 1: 25.



## Πόρισμα :

*Exigente sic veritatis necessitate, religio, quam profitemur, & corde & ore est confitenda. Quod probatur :*

I. *A veritatis gratiã Ethymologiã.* Dicta est Græcis ἀλήθεια, ab α στερητικῶ, privativo, & verbo λαθεῖν, latere, quasi non latentia. Nam, *veritas nunquam latet. Et veritas nihil erubescit, nisi abscondi.* Monet hæc notatio, veritatem nunquam esse dissimulandam. Debet enim patere, non latere, debet proferri non abscondi. Αληθής ergo non est, qui veritatem facit λανθάνειν. Αλήθεια non debet esse λανθάνουσα, sed μὴ λανθάνουσα, non debet λαθεῖν, qui vult esse ἀληθής.

II. *A cordis & oris harmoniã.* Qui enim aliam religionem fovet corde, aliam verò profitetur ore, is in mendacii & abnegationis turpitudinem, DEO exosam, proximo scandalosam, ac sibi ipsi perniciosam, certissimè incurrit, Matth. 10: 33. 1. Cor. 10: 20. 21. 28. 29. 2. Cor. 6. 14. 15. Ephel. 2: 11. 2. Maccab. 6; 21. & c.

III. *Ab universali actionum humanarum mensurã:* Quæ duplex, altera homogenea & σύμμετρος, (a) *Lex DEI inscripta;* altera heterogenea & ὑπέρομετρος, (b) *Lex DEI prescripta.* (a) Dictitat recta ratio & *Lex natura*, quod inter λόγον εσωφορικόν καὶ ἐνδιάθετον, sermonem internum & externum, seu cor & linguam, semper debeat esse necessaria convenientia. Quoniam typus & imago si non exprimit rem ipsam, quam exprimere debet, imago non est. Νόημα falsum & vitiosum censetur, si non exprimat rem, ut res est, & ῥῆμα erit falsum & vituperabile, si non expresserit τὸ νόημα ipsum, quale est in animo dicentis. Hinc *Aegyptii* cor humanum appenso guttore pingebant, quoniam sensum cordis & vocem gutturis semper debere convenire existimabant. (b) ὑπέρομετρος regula & mensura actionum

humanarum, ipsa sacra scriptura, condemnat mendacium, veritatem verò maximè commendat. Zach. 8:19. Matth. 5:37. Eph. 4:25. Nam, quod formaliter & intrinsece vitiosum ac inhonestum est, id per nullam extrinsecam, vel temporis, vel loci, vel personæ circumstantiam, potest fieri virtuosum & honestum: tale est omne mendacium; Ergo. Quod observandum contra Arianos, quosdam Calvinianos, & præcipuè Pontificios, statuentes licitum esse, aliam religionem fovere corde, aliam verò consiteri ore; sicut & contra singulos religionis tepidos aestimatores, Apoc: 3: 16.

### THESIS XVII.

*Perpetuitas est affectio Religionis, quæ est Catholica seu universalis.*

1. Ratio formalis hujus affectionis consistit in Catholicismo seu universalitate. Est autem Religio *γνησίως* Christiana Catholica, universalitate tum (a) internâ, tum (b) externâ: Internâ (b) quidem, ratione Doctrinæ, quia universam Doctrinam Propheticam ac Apostolicam unicè ac intimè amplectitur, consensumque fidei universalem sartum & tectum custodit; Externâ verò, ratione triplicis circumstantiæ, nimirum 1. ubi 2. apud quos, & 3. quando docetur. Hinc emergit triplex universalitas, nempe, 1. loci. Non enim alligata est Christiana religio ad certum quendam locum, sicut in veteri Testamento, sed ab Apostolis est disseminata in universum mundum, Plal. 19:5. Matt. 26:13. Mar. 14:9. Colof. 1:6. & etiamnum prædicatur in omni loco, in quo lux Evangelii rursus est accensa. 2. est universalitas ætatis, sexus & conditionis. Nullus enim homo, cujuscunque sit ætatis, sexus & conditionis, excluditur, sed omnibus & singulis recipienda Christi proponitur

*reli-*

religio: Non enim est Iudeus, neque Græcus, non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina, Gal. 3. 18. 3. Est universalitas temporis, quoniam vera religio à primis temporibus utriusque Testamenti, semper in Ecclesia fuit, & permanebit usque ad ultimum diem censorium. Non enim vel hæreses, vel persecutiones illam delere poterunt, Matth. 16: 18. c. 28: 19, 20. Est ergo universalitas religionis externa, quæ in toto mundo annunciata, ab omni generis hominibus recipitur, semper duratura.

2. Quod quoque hæc affectio nostræ Lutheranæ religioni, ut γνησιως veræ ac Christianæ, ad amissim compe-  
tat, hocce faciliè probatur argumento: Quæcumque religio  
1. universæ sacre scripturæ exactè est congrua, 2. à sanctis DEI  
hominibus in universo mundo annunciata, 3. à cujusvis ætatis,  
sexusque & conditionis hominibus recepta, & denique 4. omni-  
bus seculis extitit; licet impari gradu ac diverso modo, Papali præ-  
cipuè sub tyrannide, sit proposita; illa est perpetua, Catholica  
& universalis: At Religio Lutherana talis est; Ergo. Propo-  
sitionis Minoris veritatem, Theses antea explicatæ, &  
religioni nostræ orthodoxæ applicatæ, præcipuè verò The-  
13. cum suo Porismate, faciliè stabiliunt.

3. Porro qui fidei nostræ articulos inspexerit & dili-  
genter expenderit, illi amplius nullum erit dubium, quin  
ex catholicâ nostrâ religione, Catholicorum Titulus nobis  
rectissimè conveniat. Qui enim doctrinam Catholicam in  
toto terrarum orbe propagatam sequuntur per omnia, hi sunt verè  
Catholici; At nos hoc facimus, id quod per singula religionis nostræ  
capita demonstrare possumus; Ergo nos sumus verè Catholici. Nam  
hæc ratione Catholicum idem est ac orthodoxum, & sic  
hæc non pugnant invicem: Religionem dici Catholicam,  
ut quoque in rei veritate est, ob universalem convenien-

tiam cum scripturis, & Lutheranam, ob primum ejusdem reformationis in Germaniâ Ministrum *Lutherum*. Lutherani ergo & Catholici sunt unum & idem, quatenus electum DEI organon *Lutherus* fuit religionis nostræ assertor & restaurator; non verò ut ejusdem primus Auctor & inventor, quo sensu nos Lutheranos esse aut dici simpliciter negamus. Sic enim ipse Divus Vir dixit: *Quid est Lutherus? Doctrina non est mea, neque pro vobis crucifixus fui.* Tom. 4. op. Lat. Pontificii ergo, neglectis sacris scripturis, ἐν πάλματι hominum sequentes, & in cultu DEI tam horribiliter & multifariam errantes, nominis putamine sese speciosè oblectent, nos nucleum rei obtinebimus. Superbiunt quidem nomine Catholicismi, sed à dicto ad esse non valet consequentia.

Πόρισμα.

*Religio Catholica respicit omnium & singulorum hominum informationem ad salutem.*

Ex quo porismate fluunt hæ conclusiones:

1. Ergo non lingvâ ignotâ & peregrinâ ad indoctam etiam plebeculam est proponenda; hoc perinde fit, ac si quis surdum docere, ac cæco discrimina colorum monstrare voluerit, quod improbat ac prohibet ipse Apostolus Paulus, 1. Cor. 14: 8. 9. 11. Verùm cuius norâ atque vernaculâ: Sic dictâ â vernâ, qui est servus ex ancillâ domi nostræ natus, οἰκογενής, Gen. 14: 14. Vernæ qui in villis vere nati, quod tempus, duce naturâ, fœturæ est, inquit Fest. Lingua vernacula vulgò dicitur materna, & opponitur peregrinæ. Hinc deducitur conclusio.

2. Ergo licita, necessaria & utilis est, translatio S. Scripturæ in linguam vernaculam, vulgò cognitam & cuius nationi fami-

familiarē sive maternam, in eum facta finem, ut legi ab omnibus possit. unde hauritur concl.

3. Ergo Laicis etiam permissa est, Scriptura lectio. Nam omnes Christiani, legere valentes, cujuscunqve sunt ordinis, conditionis sive ætatis, post exercitia Catechetica, ad privatam S. Scripturæ in lingvâ vernaculâ lectionem, non solum admittendi, sed & invitandi & instigandi sunt. Quæ conclusiones probantur,

I. *A Divinâ intentione.* Deus non unâ, sed omnibus lingvis vult coli: unde etiam donum lingvarum miraculosum prædicationi verbi sui adjunxit. Quod non fecisset, si in unicâ tantum lingvâ coli voluisset. Act: 2: 4. 8. Psal: 87: 5. 6. Psal: 150: 6.

II. *Ab Apostolicâ prædicatione.* Apostoli non ignotâ lingvâ, sed in omnibus omnium nationum, quæ sub Sole sunt, lingvis verbum Dei prædicarunt, Act: 2: 5. 8. Col: 1: 13. Quidni igitur liceret Biblia in omnes lingvas transferre, & translationes ab omnibus legi? Quia unum idemque Dei verbum est, quod initio est prædicatum, & postea literis consignatum.

III. *A variâ versione:* Exstant namque, - 70. Interpretum Versio Græca, à Ptolomæo Philadelpho Rege Ægypti procurata; etiam versio latina & vulgata, quam falsò Canonicam & Authenticam vocant Pontificii, concedentes quidem versiones Græcas & Latinas, impugnantēs verò reliquas, scilicet Germanicas, Gallicas, Svecicās, &c. Ast nullâ causâ. Quæ enim ratio efficit, ut Græcè & Latine verterentur libri sacri, eadem efficit, ut in alias lingvas transferantur. Nullum namque Privilegium habet Lingva Latina supra alias reliquas, cum ratio convertendi in omnes lingvas, & legere ver-

bum Dei in omnibus lingvis, eadem fit, scilicet salus atq[ue] populorum ædificatio, quos Deus vult salvos fieri & ad salutaris veritatis cognitionem pervenire. 1. Tim: 2: 4.

IV. Ex Divinâ jussione, tum generali, Deut: 6: 6, 7, 8, 9. Elai: 34: 16. Joh: 5. 39. tum speciali, Deut: 17: 18. Joh: 1. 8. Matth: 7: 15. 1 Joh: 2: 12. 13. 14. Hisce dictis lectio & meditatio Scripturæ, in quâlibet lingvâ, competit promiscuè omnibus, summis, infimis, doctis, indoctis, Clericis, laicis, viris, fœminis, senibus, juvenibus, utpote ad quam omnes etiam à Deo invitati, certisque mandatis adstricti sunt.

V. A Catholicâ dedicatione. Deus & ejus Amanuenses S. Scripturam omnibus hominibus, cujuscunq[ue] lingvæ, dedicarunt, 2. Cor: 1. 13. Nam, teste Greg. M. Scriptura Sacra nihil aliud est, quàm epistola Dei Creatoris, è Cœlesti Patriâ ad nos homines missa; eum in finem, ut ab omnibus, in sibi notâ lingvâ, legatur, 1. Theff. 5: 27.

VI. A Divinâ approbatione, Psal: 1: 2. Act: 17: 11. & promissione, Elai: 54: 13. Jerem: 31: 33. Joh: 6: 45.

VII. Ab Accuratâ distinctione. Disting. inter necessitatem absolutam & conditionatam; nec translatio, nec lectio scripturæ, est ἀπλῶς, absolutè & simpliciter necessaria; Non translatio, nam caruit aliquandiu Ecclesia Scripturarum versionibus sine salutis fidelium dispendio; nec lectio, aliquando enim nullæ scripturæ fuerunt, quæ legi possent, & tamen fideles salvarentur; Verum loquimur de necessitate hypotheticâ, quæ κατὰ π, hac conditione positâ, ut nempe ille, qui linguarum orientalium ignari sunt, in suâ lingvâ scripturas legere, vel lectas audire & intelligere possint.

2. Hoc consuetarium ita expositum observandum contra S. Scripturæ infensissimos hostes, ipsos Pontificios. Quibus

bus occinimus dictum Cyrilli agentis: *scripturis sacris fidelis incumbat, ibi inveniet condigna fidei spectacula. Sit tibi vel oratio assidua vel lectio, nunc cum DEO loquere, nunc DELIS tecum.*

### THESIS XVIII.

*Spontaneitas est affectio religionis, non violentam coactionem, sed liberam assensionem exigens.*

1. Ratio formalis hujus affectionis duplicem nobis fuffit terminum atque conceptum, quorum prior est negativus, quod religio nec debet esse coacta, nec violenta; alter verò affirmativus, & concessivus, quod debeat libera atq; voluntaria esse. Nam Religio non cogi vult, sed doceri expetit. DEUS namque requirit populum spontaneum, & cultum voluntarium, Ps. 110:3. nec placent ipsi coacta sacrificia, Lev. 19 15. *Cum nihil sit tam voluntarium quam, religio, in quâ se animus Sacrificantis averfus, jam sublata, iam nulla est religio, teste Lactantio. Defendenda est religio, non occidendo, sed moriendo, non sevitia, sed patientia, non scelere, sed fide. Non est opus vi & injuria, quia religio cogi non potest, verbis potius quam verberibus, res agenda est. Cum longè diversa sint, carnificina & pietas: Nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Dicente eodem Lactantio.*

Unde fluit hoc

Πόημα:

*Nemo ad fidem & Religionem Christianam invitus est cogendus.*

I. Convertendi ad fidem & religionem vel sunt extra Ecclesiam, ut Pagani, Judæi & Turcæ, vel intra Ecclesiam & Christianorum nomine gaudent, hæresi verò aliquâ vel verè, vel ex opinione quorundam infecti sunt, nec hi

nec

nec illi ad veram religionem cogendi sunt. Ejusmodi namque coactio est:

1. *Ανεγκλησιον*, *In scriptura non fundata*. Nam nullibi in sacrâ scripturâ mandatum est, ut homines externâ violentiâ, ferro, gladio, flammâque ad religionem capeffendam cogantur. Palmarii instar adhibent Pontificii mandatum Patris familias, jubentis Servis suis, ut invitatos ad Cœnam compellant & cogant intrare, Luc. 14:23.

Resp. Dist. *Inter coactionem externam, violentam, & compulsionem politicam, per gladium magistratus atq; ardentiorē flagitationem, verbalem motionem, persvasoriam & argumentativam; seu quod idem est inter coactionem, quæ fit vi ferri, per externam vim, contra propensionem naturalem & voluntatem eius qui cogitur; & coactionem, quæ fit vi verbi, rationibus persvasoriis, quibus homo adducitur ad assentiendum, vel dissentiendum, ad volendum vel nolendum id, quod suadetur, quomodo Medicus ægrotum, ut medicamenta fumat, cogit. Non illam, sed hanc, Spiritus Sanctus, hic loci intelligit. Sic duo discipuli euntes in Emaus Christum coëgerunt, ut diverteret, Luc: 24. 29. sic Jacob coëgit Esau accipere donaria, Gen: 33: 11. hoc est, id impetrarunt multum instando, orando, sollicitando.*

2. *Disting. inter violentam conscientiarum coactionem, & publici exercitii religionis prohibitionem. Quamvis Magistratus non conscientias ad religionem cogere, tamen non debet vagam quidvis publicè docendi, profitendi & exercendi licentiam concedere. Nam:*

JUSTITIA ET PIETAS SUNT FULCRA REGNI.

3. *Distingv. Inter coactionem ad fidem, & ad media fidei, seu ipsam religionem. Potest Magistratus seductos ex subditis ad frequentandum templum, ad audiendum DEI Verbum, aliaque conversionis media suscipienda, certâ ratio-*



ratione compellere & cogere; non tamen immediate quemquam ad religionem & fidem ipsam cogere. Animis hominum, ubi sedes religionis est, non ita imperatur, ut lingvis, auribus, pedibus.

4. Distingv. *Inter errantes publicè & privatim.* Illi sunt, qui non solum ipsi periculose errant in rebus fidei, sed & alios turbant, ad se clanculum alliciunt, errores suos spargunt, & simpliciores seducunt. Rom. 16: 17. 2. Tim. 2: 13. 18. 2 Pet. 2: 1. *Hi sunt, qui sibi tantum errant, aliàs quieti, res suas agentes, neminem turbantes, nec errorem spargentes, quin potius ad cedendum parati, si meliora edoceantur.* Neutri ad religionem cogendi, sed coërcendi, non gladio, igni aut alio supplicio capitali, sed monitis, dictis & interdicitis, *ut moriatur error, vivatque homo.* Tit. 3: 10. Cum utrisque procedendum, prout quilibet fert Reipublicæ status. vid. Thef. 10. *μετ.* 2. arg. 4. p. 67. 68. 69.

II. Est *ἄλογος*, *Scripturæ Sacra è diametro contraria.* Nam Christus Apostolos docere ac baptizare, non verò iussit, ut eos, qui audire nollent interficerent, aut civilis potestatis auctoritate ad credendum compellerent. 2. Cor: 10: 4. Apoc: 1: 16. 2. Cor: 1: 24. 2. Tim: 4: 2.

III. Est *ἄλογος*, *Rectæ rationi contraria,* violentis namq; & cruentis mediis homines ab illa religione, ad quam coguntur, magis abalienantur & irritantur. Coactio enim illa non ad fidem sed tantum hypocrisim inducit. Unde pulchrè ait *Nazianzenus: Religionis non est cogere ad religionem, quæ spontè suscipi debet, non vi.* Imò tale dominium repugnat juri DEI, qui solus habet dominium in conscientias. *Corpora obnoxia sunt & adscripta Dominis, mens verò sui juris.* inquit seneca. Unde celebratur *Stephani Batorei* Poloniæ Regis apophthegma: *DEUM tria sibi reservasse, ex nihilo ali-*

quid facere, futura scire, & dominari conscientiis. Cui consonat illud aureum dictum, Maximiliani. II. Imperat. laudatissimi: Nulla intolerabilior Tyrannis, quam dominari velle conscientiis.

IV. Et ἐπεὶ οὐδὲν, Tyrannis & Hæreticis propria. Sicut loquitur August. in enarr. Psal: 9. Prima persecutio Ecclesie tyrannorum, violenta fuit, cum persecutionibus, tormentis, cædibus, Christiani ad sacrificium cogentur: Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per hæreticos & falsos fratres agitur: Tertia super est, per Antichristum ventura, quæ nihil est perniciosius, quoniam & violenta & fraudulenta erit. Qui secundum carnem natus erat, persequitur spirituales. Nunquam verò spiritualis carnalem persequitur, sed ignoscit ei, quasi rustico fratri, inquit ex Hieronymo jus Canonicum.

2. Quæ omnia observanda sunt contra Pontificios, & paganos & Christianos, ad religionem Romano-Papisticam, summa vi cogentes, sicut conversio Indorum, & inquisitio Hispanica, ac quotidiana ipsorum Proxis, luculenter testantur: sicut & contra nefarium impostorem Muhameden, qui dicere est solitus: *Mosen minus, Christum miraculis, se verò gladio missum esse ad propagandam religionem.* Hinc c. 19. Korani habet: *converti nolentes interficite.*

3. Hæc affectio quoque ita applicari potest nost. rel. Luth. *Quæcunque religio neminem cogit, sed blandè invitat, more Christi & Apostolorum, ad regnum DEI, illa est spontanea, at religio Lutherana hoc facit, ergo.*

#### THESIS XIX.

*Sortis varietas est affectio religionis, quatenus contradictionibus & persecutionibus est obnoxia.*

1. Ratio Formalis hujus affectionis Religionis, id quod ei contingit non per se, sed per accidens, pollicetur, non tranquillita-

tatem, ut somnient Pontificii, verum contradictionem & persecutionem. Ita enim factum fuisse à primis statim Ecclesiæ primordiis, res ipsa loquitur. *Abeli Cain, Mosi Magi Ægyptiaci, Eliæ Baalita, Aliis Prophetis Pseudoprophetae, Christo ipsi Pharisæi, Apostolis Pseudo-Apostoli & totus terrarum orbis,* contradicebant atque persecutionem contra eosdem concitabant & movebant. Imo à tempore Apostolorum usque nunc, verbo DEI est contradictum, non tantum tyrannorum persecutionibus, sed etiam impiis & ex cerebro humano excogitatis hæreticorum doctrinis. Sicut nasutus & sanguinolentus quidam Papista, nomine non expresso, in comitiis Augustanis, hos versus Curiaë foribus, ut Cæsari & Ordinibus ingredientibus essent in oculis, inscripsit:

*Quà ratione queat Germania, salva teneri,*

*Suscipe consilium, lector amice meum;*

*Ultere jure tuo, Cæsar: servosque Lutheri*

*Ense, rotâ, ponto, funibus, igne, neca.*

2. Unde patet nostram Religionem esse veram atque eandem cum prophetarum, Christi ac Apostolorum religione, cum eadem, præ omnibus aliis sub coelo lectis & diffidiis, maximè omnibus est adversa & inimica. Sicut prædixerunt futurum & experti sunt ipse Christus, Matth. 10: 34. Luc. 12: 51. Joh: 15: 20. c. 16: 2. & Apostoli, Act: 5: 28, 33, 40. c. 18: 22. c. 20: 29. c. 28: 22. 1. Thess. 2: 14, 15, 16. 1. Tim. 4: 1. 2. Pet. 2: 1, 2, 3.

*Πείσμα:*

*Augetur Religio quanto magis premitur, Cant. 2: 1.*

1. Ut enim Rosa, vel lilium inter spinas nascitur & floret: ita Religio, ejusque officina, Ecclesia, in medio inimicorum suorum viget, & in ipsis persecutionibus crescit. Veritatem hujus consecrarii probant:

I. *Sacra Scriptura*, Exod: 1: 12. 20. c. 2: 24, 25. 2. Reg: 19: 22, 30, 31. Plal: 46. totus, 124. 7. 8. 129: 1. 2. 3. 4. Esai: 41: 10. 13. 14. 43: 1. 2. 49: 15. 16. 17. c. 51: 12. 14. 22. 23. 54: 7. 8. & c. Jer: 33: 10. 11. Nah: 1: 7. 8. 9. 12. 13. Habac: 4: 2. Zeph: 3: 10. 12. 19. 20. Zach: 2: 5. 8. Matth: 5: 14. c. 7: 25. c. 16: 18. Act. 2: 41. 47. c. 4: 4. 31. c. 5. 41. 42. c. 8: 4. c. 11: 21. 24. 12. 24. & c. & c. ex Actis Apostol. 1. Cor: 10: 13. 2. Cor: 3. 8. 9. 10. 11. c. 12: 9. 10. ex hisce dictis & exemplis conspicitur *immensa DEI potentia, Sapiencia ac admirabilis Evangelii efficacia*. Tam potens est Dominus DEUS noster, ut etiam in medio inimicorum suorum dominetur, tam *Sapiens*, ut ea, quæ Ecclesiæ maximè nocitura videntur, in illius commodum & augmentum possit convertere. Evangelii quoque virtus tanta est, ut, quo magis premitur, eo altius assurgat & majora incrementa capiat.

II. *Patrum Testimonia*: *Ecclesia sicut luna defectus habet, & orcus frequentes: sed defectibus suis crevit, & bis meruit ampliari; dum persecutionibus minuitur, & confessorum Martyriis coronatur*. Ambros. lib. 4. Hex. c. 8. *Hoc habet religio proprium: dum persecutionem patitur floret; dum opprimitur crescit; dum contemnitur, proficit; dum laditur, vincit; dum arguitur, intelligit; tunc stat, quum superari videtur*. Hilarius. *Tunc Ecclesia sancta Valencius in veritate reficitur, quum ardentius pro veritate defatigatur*. Gregor. *Sicut omnis res (inquit Chrylost. in Matth.) qua percussit lapidem, ipsa quidem colliditur, lapidem autem non cedit: Sic & omnis quæ contra veritatem Evangelicam agit, se quidem ipsam corrumpit, veritati autem non nocet*. Quo majori nisu ac conamine *Papista* Evangelii cursum inhibuerunt, tempore Lutheri, eo magis crevit ejus successus, & quanto plures, ob confessionem veritatis, vel interfecerunt, vel in exilia vel carceres egerunt, tanto plures quotidie ad doctrinam Evangelicam accesserunt.

III. *Sanguinis Martyrum tinctura. Sanguis Martyrum est semen Christianorum, inquit Tertull. unde venustè quidam Poëta cecinit:*

*Sanguine fundata est Ecclesia; sanguine cœpit;  
Sanguine succrevit; sanguine finis erit.*

Et Poëta Mantuanus ait:

*Ut multi ex unâ veniunt radice nepotes:*

*Sic nostrorum uno centum de funere surgunt.*

Vide præterea Disp. I. pag. 10. Relig. divers. faciem.

2. Quod quoque hæc affectio competat nostræ religioni ita facile evincitur:

*Quæcumque religio, præ omnibus aliis sectis, patitur contradictionem & persequutionem, illa est vera & γυνώσκω Christiana; at Religio Lutherana, præ omnibus aliis sectis, patitur contrad. & perfec. Ergò religio Lutherana est vera & γυνώσκω Christiana.*

3. Hæc affectio observanda contra Pontificios statuentes: *felicitem temporalem esse notam Ecclesie & religionis. Cum aliud dicitur nobis ipsum verbum DEI: Hiob. 7: 1. Act. 14: 22.*

2. Tim. 3: 12. & testetur experientia quod:

*Nuncquam Bella piis, nuncquam certamina desunt;  
Sed cum quo certet mens pia semper habet.*

Ergo: â felicitate temporali, ad veritatem religionis, non valet consequentia.

#### THESIS XX.

*Efficacitas est affectio religionis, quatenus divinam in se habet virtutem ac vim, ad gloriam DEI illustrandam, atque spirituales effectus producendos.*

1. Ratio formalis hujus ultimæ relig: affectionis desumpta est partim (a) â formâ internâ, partim (b) â duplici fine.

Forma (a) hæc est divina vis ac virtus, quam in se continet religio, quatenus habet congruentiam cum verbo

DEI Θεοπνευστο, quod intrinsecâ non solum gaudet efficacia in separabiliter addita, ita ut nullo unquam tempore aut loco ab eo separari possit, sed etiam divinitus inditâ, quia Θεοπνευστος est, & Deum Auctorem habet, divinumq; sensum ac  $\nu\epsilon\nu\tau\grave{\eta}\ \chi\rho\iota\sigma\tau\acute{\omicron}\varsigma$  continet.

(b) *Prior finis est illustratio gloriæ DEI.* Hæc enim non tantum meta & scopus est actionum christianarum omnium, i. Cor: 10:31. Sed fidei & religionis quoq; apex est, ad quam tanquam ad lapidem lydium omnes religiones sunt examinandæ, exemplo Christi contra Phariseos, Joh: 8: 49. *Ego honoro Patrem meum.* Hic refert Christus veritatem doctrinæ suæ ad gloriam DEI, tanquam ultimū finem. Quo encomio vero quoq; honoravit nostram Relig. Luth. quondam Doct. Staupitius, in quâdam Epistolâ ad B. Lutherum, ita scribens: *Hoc mihi valde placet, quod hæc doctrina, quam predicat, gloriam & omnia Soli DEO tribuat, cui non potest nimium gloriæ tribui.*

*Finis posterior est spiritualium effectuum editio atque productio.* Idq; haurit ex suo principio verbo DEI, quod in Legem & Evangelium dividitur, quælibet pars parit suos effectus divinos & efficaces, in hominibus convertendis, pietatisq; studio urgendo & excolendo. Lex enim non est litera mortua, ut falso Schwencfeldiani & Papistæ contendunt, sed in suo genere, efficax est, effectus punitorios, ut *concussionis, mortificationis, damnationis, &c.* producendi; Evangelium vero gratiosos & salvificos actus, ut *regenerationis, illuminationis, conscientie tranquillationis, eversionis procurationis, salvationis, &c.* Edit atque ex sese gignit. Unde oritur hoc

Πόρσμα :

*Hæc intrinseca, divina, sufficiens, indifferensque ad omnes homines, vis & efficacia, etiam ante & extra usum legitimum, ex DEI ordinatione, immediate, verè ac propriè competit religioni.*

i. Quod

I. Quod Religio *γνώσις* christiana sit, intrinsecæ, divinæ, sufficientis, indifferentisque ad omnes homines efficacitæ, ostendimus antea passim inter affectiones, præcipuè verò pag. 17. 18. 19. 20. 22. 23. 59. 60. &c.

Id quod præfens quoque porifima intendit, nempe quod verbo DEI non extrinsecus divina virtus accedat, sed intrinsecus sit eidem, ac per se competat, quâ verbum DEI est, quantum ad actum primum, utut eadem actu secundo non exeratur, nisi in usu legitimo, id quod probatur:

I. *Ex Scriptura S. dictis*, Joh. 6: 63. Rom. 1: 16. Heb. 4: 12. 1. Thess. 2: 13. 1. Pet. 1: 23. Jac. 1: 21. Hæc sicut & reliqua ejusmodi scripturæ S. dicta sufficienter evincunt, *virtutem & vitam verbo divinitus communicatam, eidem non esse extrinsecam & ἀλλοθενήν, sed maximè intrinsecam, non separabilem, sed inseparabilem, non χρονίαν & momentaneam, sed perpetuam, non contingentem sed necessariam, ex necessitate divina ordinationis & θεοπροψίας. Quicquid enim est de ratione interne formæ vel interne perfectionis, id rei ( & sic quoque verbo DEI) maximè est intrinsecum, inseparabile, perpetuum & necessarium.*

II. *Ex variis effectis*. tribuuntur enim verbo DEI Actus & effectus, tum gratiosi, ut sunt: *regenerari & converti*, Psal. 19: 8, 9. Jer. 23: 29. 2. Tim. 2: 25. 1. Pet. 1: 23. Jac. 1: 18. 1. Cor. 4: 15. Gal. 4: 19. *fide donari & credere*, Joh. 1: 7. c. 17: 20. Rom. 10: 17. 1. Cor. 3: 5. Colof. 1: 5, 6. 2. Pet. 1: 19. *purificari*, Joh. 15: 3. 4. *vidificari*, 2. Cor. 3: 6. Eph. 2: 5. Phil. 2: 16. Act. 5: 20. *Justificari*, Rom. 3: 27. 28. *Sanctificari*, 1. Pet. 1: 22. *Renovari*, Eph. 4: 13. *in gratiâ & fide conservari*, 1. Pet. 5: 10. *Salvari*, Job. 5: 24. 39. c. 6: 69. 1. Cor. 1: 21. Jac. 1: 21. Act. 11: 14. tum puritории, Lex enim suis comminationibus, *occidit*, 2. Cor. 3: 6. *iram operatur*, Rom. 4: 14.

4:14. *Instar ignis urit, cruciat, absumit*, Deut:33:2. *Instar mallei petras conterit*, Jer:23:29. *Instar gladii ancipitis cuncta penetrat*, Heb:4:12. Etiam si enim impii & contumaces verbum DEI repudient, in corde tamen suo sapius tales sentiunt aculeos, ac si quis gladio δις ὄμοῦ seu utrinque incidente, omnia interiora dissecat. Act. 24: 25. Hæc virtus ergo & efficacia verbo DEI ubique & semper inest, atque ex intentione DEI sese extendit non solum ad electos, sed ad omnes omnino homines, sive electi illi sunt, sive reprobis, sive pii sive impii & obdurati. Et licet vim suam salutarem actu secundo, in reprobis & induratis exerere nequeat, exerit tamen vim divinam, convincens & constringens eorum corda, ut reddantur ἀναπλόγησι. Quod verò ejusmodi effectus supernaturales producit, id virtute divina intrinsecâ adproducenda ejusmodi ἀπιελέσματα spiritualia, pollere oportet, quum actus secundus præsupponat primum.

III. *Ab ipsis in commodis*: quod si enim verbum DEI perpetuam & divinam persuadendi virtutem in & secum non habeat, nihil differt à Senecæ Epicteti, Ciceronis, aliorumque saniorum prophanorum scriptorum, scriptis & dictis, quando hi de informandâ vitâ & moribus, de præmiis & pœnis, de quiete conscientia, victoriâ de vitiis, ἀνισαρκεία, & axiomatibus aliis virtuosi hominis, idem quod verbum DEI, docent. Si DEI verbum nullam vim penetrantioris habet, quando idem objectum cum hisce Auctoribus proponit; nihil continebit nisi cognoscibilia, quæ Spiritus Sanctus postmodum accessoriâ, ambulatoriâ & arbitrariâ suâ gratiâ, quando volet, faciet credibilia.

Unde



Unde fluunt hæc conclusiones:

I. *Verbum DEI unum idemque est, & προφορικόν externum, & ἐνδιάδοτον internum, differtque ab ipso Filio DEI.* Nam *internum* dicitur, quia est in DEO, ab æterno; *externum* verò, quia revelatum est à DEO: estque ratione essentia unum idemque DEI verbum quod est in DEO, & à DEO inspiratum Viris DEI, in Scripturis traditum, prædicatum & mente humana reconditum. *Estque semper divinus sensus, consilium, mens & Sapientia DEI.* Modalis hæc verbi differentia rem non multiplicat, sed modificat. Filius DEI est λόγος ὑψιστάτης, & maxime differt a λόγῳ ἐνδιάδοτῳ tum προφορικῶ, & aliud est Christus aliud ejus verbum.

II. *Spiritus S. operatur simul cum verbo salutem.* Nec indiget verbum aliqua elevatione ut res viva, sed tenebri- cosa mens humana. Dist. ergo, quando verbum DEI comparatur cum *rebus inanimatis sicut & animatis, inter modum operandi & actum operationis.* Quando verbum DEI comparatur igni, imbri, semini, pani &c. modus operandi convenienter exprimitur: At si baculo, Malleo, scepro, &c. Præcisâ speciali operandi ratione, solus actus efficientiæ delineatur, & simul eo ipso *connexio causæ principalis & instrumentalis indicatur.* Sicut Malleus conterit, baculus ducit & ferit, sceptrum dirigit & castigat; ita quoque verbum DEI. Agunt, causa principalis, ipse DEUS, & causa media, verbum Dei, simul natura, non se junctim, sed conjunctim & subordinatè.

III. *Adscribenda itaque est S. Scriptura non tantum virtus quædam objectiva, ad signandum, representandum, & objectivè exhibendum ea, quæ DEUS testatur, aut vult, ostendendo viam salutis, sed etiam effectiva ad producendos effectus Spirituales, ita ut non moraliter solum animos hominum movere ac persuadere, sed efficaciter illuminare, convertere ac salvare possit; id est*

non vi quâdam extrinsecus accedente & adventitiâ, sed virtute nativâ & intrinsicâ, Verbo DEI, quâ est verbum, propriâ. Quandoquidem verbum DEI, à quovis alio verbo humano discriminetur, quod ceu profectum ex ore DEI vim habet peculiarem divinitus insitam, verè divinam, idque extra usum, quippe qui eidem accidit. Nec illatio adversariorum valet: ut sacramenta extra usum non sunt; ita nec verbum DEI est extra usum. Resp: Diversa est Ratio: Quia sacramentorum natura consistit in actione, quæ sine usu esse nequit: At verbum DEI non consistit essentialiter in actu meditationis, lectionis & prædicationis, sed hæc tantum accidunt verbo, quod, illis desinentibus, in æternum permanet.

Si quaerent, Rathmannus, Movius aliique Phantasta, ubi verbum DEI sit extra usum, & an tunc frustraneum? Respondent Nostrates: quod originaliter sit in DEO, ceu conceptus & mens DEI, repræsentative in biblicis codicibus, habitualiter & subjective in hominum mentibus; etiamsi enim non cogitur, tamen in animis hominum asservatur & custoditur; denique οἰκονομικῶς seu dispensative, in divina ordinatione, destinatione & sanctificatione. Uti vis visiva in oculo, dum non exeritur, non est frustra, nec mentis habitualis sapientia, dum eadem sive per infirmitatem, sive per somnum, actu sese non exerit, frustranea dici potest: Ita nec frustra divina virtus verbo competit extra usum, sed ratione ordinationis divinæ est destinata saluti hominum, Rom: 1: 16. omnibus salutare est per naturam, licet solis credentibus actu vergat in salutem, Luc: 7: 29, 30. Act. 13: 46, 47, 48. Interea à remotione actus secundi per accidens impediti, non potest aut debet inferri remotio actus primi, sive à negatione effectus ad negandam ipsam virtutem Cauſandi, sive vim & efficaciam effectum produ-

ducendi, non valet consequentia: licet effectus verbi apud quosdam impeditur, efficax tamen est atq; ita inseparabilis, ut a Sole potentia & facultas illuminandi, licet quandocq; negligitur à multis. Inde recte *August.* *Intellexisti Spiritualliter Spiritus & vita sunt: intellexisti carnaliter, etiam illa Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt.* Concludimus nostrum porissima verbis præclaris *Auct. Imperf. Oper. in Marth.* *Omnia verba divina viva sunt, quoniam intus in sensibus suis habent positam veritatem DEI, quasi sanguinem in venis inclusum & vivificant audientem.*

2. Quod observandum est contra *Schwenckfeldianos, Weigelianos, Enthusiastas, Anabaptistas, novos Prophetas, Socimianos, Arminianos, Calvinistas & Pontificios plerosque, Tremulantes, Quacheros, Labadistas, aliosq; Fanaticos & Phantastas, efficacie verbi DEI vi les aestimatores.*

3. Hæc affectio quoque facile appropriatur, hocce pacto, nostræ Religioni Lutheranae: *Quæcumq; Religio ex verbo DEI Θεοπνευτος divinam habet suam virtutem, illustrat gloriam DEI, & Spirituales, ex lege quidem punitorios, & ex Evangelio gratiosos, producit effectus, illa est efficacissima; At Religio Lutherana id facit: Ergo est efficacissima. Quod erat demonstrandum.*

Hucusq; de Religionis veræ ac *γινώσκω* Christianæ naturâ & essentiâ, tum quoad principia, ut essentielle eam constituens, tum quoad 13. affectiones, ut Essentiale consequens, actum fuerat; nunc ejusdem sequitur summa.

### THESIS XXI.

1. *Summa veræ Religionis continetur in Symbolis Christianam fidem complectentibus.*

2. *Symbolum est brevis & Summaria omnium articulorum Christiane fidei & religionis formula, ingenua professio ac indubitata nota, quâ Christiani cognoscuntur, & ab Ecclesia hostibus discernuntur. Vel juxta Augustin: Symbolum est Regula fidei brevis &*

grandis ; brevis numero verborum, grandis pondere sententiarum. hocq; ex Apost. Bartholomæo : Evangelium est breve & longum.

3. *Symbolum*, dicitur à Præt. med. *συμβέβολα*, verbi *συμβάλλεσθαι*, diligenter considerare, conferre, congruere cum aliquo ; idq; à præpositione *σύν* unâ & verbo *βάλλω*, jacio, quasi in unum conjicio, confero. Hinc ut *ἀσύμβολος* est, qui nihil confert, ita *συμβολή* & *σύμβολον*, est collecta, collatio, indicium, signum militare, memoriale & convivale, sumpta notatione à comparatis similibus. *Symbolum* enim propriè notam sive tesseram significat, quâ quis ab alio discernitur. Exinde hic triplex observanda metaphora, & quidem deducta 1. a *Militibus*, quorum socij *Symbolo* militari se invicem cognoscunt, & ab hostibus discernuntur, Svet. et *Fältskefn / en Lösn* ; 2. à *Magnatibus* certo *Symbolo* sese oblectantibus, et *Wälske-Ord och Fänckie-Språk / ut Symbolum Regis Svec. Gustavi Adolphi fuit: GLORIA ALTISSIMO SUORUM REFUGIO. Regis nostri Clementissimi: DOMINUS PROTECTOR NOSTER. Ducis Saxonie Johannis Frederici: VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM. Beati Lutheri ; IN SILENTIO ET SPE. Et sic de reliquis. 3. à Conviviis*, ubi quilibet ad convivium suam confert portionem, et *Gästebod; sammanstoft och hoopelag*. Ex tribus hisce comparationibus satis apparet, quare *Symbola*, ut Christianæ Religionis summa, sunt conscripta ab Orthodoxis Doctoribus, & Ecclesiæ Christi fideliter commendata, nempe ut essent (a) *obligatoria* (b) *Commonefactoria*, & (c) *Conolatoria*. (a) *Symbola obligant Christianos ad præstandum DEO debitum officium & Servitium*. Quemadmodum enim milites mundani, suo *Symbolo* testantur cui serviunt, & cuius sint hostes ; ita Christiani hac fidei suæ professione testantur, se & Regi suo servire, & juratos Diaboli, omnium & memororum ejus, hostes esse.

*Si enim milites hujus seculi beneficia temporalia à temporalibus Dominis accepturi, primum omnium sacramentis militaribus obligantur, & Dominis suis fidem se esse servaturos profitentur: Quanto magis eterno Regi militaturi, aeternaq; præmia accepturi, Sacramentis Cælestibus obligari, & fidem, per quam illi placituri sunt, publice profiteri debent. Inquit August. Serm. 181. de tempore.*

(b) *Symbola commonefaciunt nos de præstitis nobis à DEO Beneficijs. Quemadmodum enim Reges, principes, Magnates, alijq; pij homines, suo Symbolo memoriali, peculiare aliquid sibi revocant in animum & memoriam; ita Christiani Symbola Christianæ fidei memoriæ penitissimè infigere debent, utpote secundum quæ baptizati, credere, vivere, ac mori desiderent. Reddite Symbolum vestrum, non pigeat repetere; bona est repetitio, ne subrepat oblivio. Ne dicatis: veri dixi, dixi hodiè, quotidie dico, teneo illud benè: sicut tanquam speculum tibi Symbolum tuum ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua: sint divitiæ tuæ, sint quotidiana ista quodammodo indumenta mentis tuæ. nunquid non quando surgis te vestis? Sic & commemorando Symbolum tuum, vestis animam tuam, nè fortè eam nudet oblivio. Ipsa fides & tunica & lorica est. idem August. hom. 42. sub finem. Qui vere in Christum credunt, mori millies malunt, quam fidem Christi abnegare: sciunt enim se moriendo perire, sed resurgendo fieri immortales, dicit Athan.*

(c) *Symbola, ut Clavis solida & signaculum cordis, juxta Ambros. consolantur nos in omnibus adversitatibus.*

*Quemadmodum enim lauta & opipara mensa saturat & lætificat convivas: Ita quoq; Symbola ex verbo DEI hausta, ut spirituale Pabulum, opplent corda nostra satietate & gaudio, Psalm. 22: 27. Symbola sunt munimenta fidei, quæstant adversus faciem inimici, ex lapidibus droris, & margaritis*

*Dominicia edificata, quæ neq; venti impellere, neq; flumina subvertere, neq; tempestatum ac procellarum turbines permovere possunt. Cypr. in expos. symb. Imò per Symbolum referantur Diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat, aperiuntur conscientie clausa peccata, ut Justitiæ fulgeant opera manifesta. Ambros. Serm. 39. Symbolum debemus antelucanis horis quotidie recensere, quò etiam, cum horremus aliquid, recurrendum est. Atha. Nullæ sunt majores divitiæ, nulli Thesauri, nulla hujusmodi major substantia, quam est Catholica fides. Aug. Serm. 181. de Tempore.*

4. Capita & Articuli fidei doctrinæque Cœlestis vocantur Symbolum, collatio seu Collectio, ideò; quia ex multis variisque Sacræ scripturæ dictis hi concatenati in unam summam Articuli, à multis Ecclesiæ pijs Doctoribus unanimi consensu, ut multi homines variarum Nationum, in unam fidem, fideiq; confessionem conveniant, sunt collati & collecti. Quod Græcè Symbolum, hoc Latine collatio nominatur, quia collata in unum, totius Catholice legis fides, Symboli colligitur brevitate. August. Symbolum dicitur à similitudine de collatione, quando ex pluribus partibus fit unum continuum; undè Symbolizare dicuntur, qui ex pluribus aliqua in unum & ad unum colligunt. Inquit Armandus de bello visu, Tract. 2. c. 57. Ideoq; B. Lutero: Symbolum est Historia historiarum & Calendarium secundum quod omnia festa Domini Totius Anni celebrantur.

## THESIS XXII.

*Symbole Religionis, alia sunt antiquiora & œcumenica seu Universalia, in toto Christiano orbe recepta, alia recentiora, & ratione minus solemnis approbationis particularia.*

*Dicuntur œcumenica ἀπό τῆς ἐκκλησίας, sive ab orbe habitabili. Quæ vox latè accepta universum orbem terrarum*

rum designat; *Stricte* vero sumta Romanum Imperium denotat, Luc: 2. 1. Cum Symbola vocitentur universalia hæcce, tum distinguendum est inter *causam instrumentalem & circumstantias alias*. Ratione causæ Instrumentalis, tum omnia hæc Symbola, non sunt à Doctoribus œcumenicis conscripta; cum de *Apostolico & Niceno* adhuc sub iudice lis sit, quisnam illa scripserit, & *Athanasianum, Ambrosianum cum Augustiniano*, pro unius Doctoris scripto vulgò habeantur. Verum œcumenica dicuntur, 1. Ratione *objecti*. quia Doctrinæ Catholicæ, Propheticæ scilicet & Apostolicæ, consona sunt; 2. Ratione *subjecti*, tum *recipientis* tum *profidentis*, quia ab Ecclesiâ Catholica omni loco & tempore, ex quo fuerunt nata, non quidem simul, sed successivè, recepta & approbata sunt. 3. Ratione *differentiæ*. Quoad nationalia vel provincialia Symbola, quæ à particularibus tantum nationum seu Regnorum, vel Provinciarum concilijs, concinnata & approbata fuerunt.

### THESIS XXIII,

*Symbola œcumenica, & à toto orbe Christiano recepta, sunt: Apostolicum, Nicenum, Athanasianum, & Ambrosiano-Augustinianum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense.*

*Quæ omnia & singula breviter exponenda:*

I. *Symbolum Primum Apostolicum*, dicitur *Then Apostoliska Troon*; unde Compositus Eccles. Psalmus: *Witroo uppå en alymächtig Gud* &c. Ratione (a) *originis* (b) *Canonis*, & (c) *discriminis*.

*Ratione (a) originis*. Pia vetustas piè credidit ipsos Apostolos hujus Symboli ( licet minus rectè, ut Porisma Primum jam modo monstrabit) Auctores esse. Unde non solum à

qui-

quibusdam Symbolum à conferendo nomen habere putatur, ἀπὸ τῆ συνβάλλεθαι, ab eo, quod plures in unum conferunt, quasi sit ab Apostolis collatum; Ideoque *Rufinus* in Præfatione expositionis Symboli Apostolici, putat Apostolos, discessuros ab invicem in universum terrarum orbem ad prædicandum Evangelium, Normam sibi prius futuræ prædicationis, in commune constituisse, omnesque in uno loco positos & Spiritu Sancto repletos, hoc breve Symbolum composuisse; Verum etiam juxta numerum duodecim Apostolorum in 12. Articulis distribuitur.

*Augustinus* Serm. sec. Domin. Palm. ulterius progreditur, docetque quam singuli quique Apostoli Symboli partem contulerint. S. PETRUM Dixisse: *Credo in Deum, Patrem omnipotentem.* S. JOHANNEM: *Creatorem Cæli & terræ.* S. JACOBUM Majorem: *Credo in Jesum Christum filium ejus unigenitum Dominum nostrum.* S. ANDREAM: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria virgine;* S. PHILIPPUM: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & Sepultus;* S. THOMAM: *descendit ad inferos, & tertiâ Die resurrexit à mortuis;* S. BARTHOLOMÆUM: *Ascendit ad Cælum & sedet ad dextram Patris, Dei omnipotentis;* S. MATTHÆUM: *Inde venturus est judicare vivos & mortuos;* S. JACOBUM minorem: *Credo in Spiritum Sanctum;* S. SIMONEM Zeloten: *Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, peccatorum remissionem;* S. JUDAM JACOBI: *Carnis resurrectionem;* S. MATTHIAM: *& vitam eternam. Amen.*

(b) Ratione canonis vocatur Symbolum Apostolicum: *Quia summam Doctrinam Apostolicam continet, eidemque tanquam firmissimo fundamento innititur, inquit Cunrad. Diët. in exp. Symb. Ap. Antiquis enim Ecclesiæ Doctoribus*  
im.



omne illud vocabatur Apostolicum, quicquid concordaret cum Doctrinâ Apostolicâ & Sacrâ Scripturâ; eamque ob causam *Hilarius* Appellavit Symbolum Nicenum Apostolicum. *Quicquid figuratum est in Patriarchis, quicquid nunciatum est in Scripturis, quicquid prædicatum est à prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo Dei unigenito, vel de Spiritu Sancto, vel de suscipiendi hominis Sacramento, vel de morte Domini, resurrectionisq; mysterio, totum hoc breve Symbolum in se continet,* inquit *August.* Serm. 119. de temp.

(c) *Ratione discriminis,* ut discernatur à reliquis Symbolis œcumenicis, in hæc thesi enumeratis: quorum jam

II. *Secundum est Symbolum Nicenum,* quod nihil aliud est, quam Symboli Apostolici repetitio in concilio primo œcumenico, Niceæ in Bythynia, adversus blasphemiam Arij Deitatem Christi oppugnantis, Anno 325. ab Imperatore Rom. *Constantino Magno* congregato, à 318. Episcopis celebrata. Argumentum quod attinet, potissimum occupatur in asserendâ unâ Dei essentiâ in tribus distinctis Personis, Patre, Filio & Spiritu Sancto, maximè verò in descriptione secundæ Personæ desudat, quia de eâ lis vel maximè tunc mora fuit. Hoc Symbolum, ita Sæcticè versum, canitur in nostris Ecclesijs: *Wij Troon uppâ en GUD/ en Alzmechtig Vader/ etc. och kallas then Niceniska Troon.*

III. *Symbolum est Athanasianum.* Ex Vulgari sententiâ existimatur ab Athanasio, qui circa Annum Christi 340. vixit, fuitque Episcopus Alexandriæ, esse confectum. Vossius & multi alij statuunt, dici Athanasianum, non tam ab ipso Athanasio Auctore, quam ab Athanasij Doctrinâ & fide. Uberius Articulum de DEO, in essentiâ uno, & in Personis Trino, exponit. Ad Calcem nostræ Catechesios

chios minoris, ut ab omnibus legi & fideli memoriae, ob insignem fidei confessionem, & utilitatem, infigi possit, est impressum. Et sonat ita: Qviconqve vult Salvus esse, &c. Svet. *Hvilken som vil Salig warda / etc. och kallas then Athanasianiske Troon.*

IV. *Symbolum Constantinopolitanum* est. Quod Concilium celebratum est Constantinopoli, Anno Christi 381. Imperatore *Theodosio Seniore*: In quo damnata fuit Hæresis *Macedonij*, qui Deitatem Spiritus Sancti infestabat, cui intererant Episcopi 150. Hoc Concilium, quod vulgò appellatur Constantinopolitanum primum, peculiare Symbolum non edidit, sed confirmavit Nicenum. Unde Scriptores veteres utrunqve pro uno habuerunt. Nam teste *Vossio*: *Quicquid in Niceno est, id continetur iisdem verbis in Constantinopolitano, & quicquid apposuit Constantinopolitanum, id divinus, h. e. potentia sine Virtute est in Niceno, ac majoris Solùm Claritatis causâ postea adiunctum est.* Contra enim *Macedonium* & *Pneumatomachos*, post illa verba: *& in Spiritum Sanctum*, addidit: *Dominum & vivificantem, qui ex Patre & Filio procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur.*

V. Est *Symbolum Ambrosiano Augustinianum*, compositum, ut vulgò creditur, à duobus Episcopis, ut *Coertaneis, Ambrosio & Augustino*. Estque ejusdem materiae, cum Symbolis superioribus, extollens quoque egregiâ Cantilenâ, DEUM in essentiâ unum & in Personis Trinum, cum cujuslibet Personæ Trinitatis peculiaribus beneficijs, Ecclesiæ DEi præstitis, pro cujus incolumitate atqve defensione obnixè orat, atqve humiliter apud DEUM intercedit. Sverice ita Canitur: *O GUD / wij Lofve tig / O Herre / wij tacke tig, etc.*

VI. Ephe-

VI. *Ephesinum Symbolum*, à Concilio quod celebratum est Ephesi, Anno Christi 431. Imperatore *Theodosio Juniore*: in quo explosa fuit *Hæresis Nestorij*, qui negatâ communicatione idiomatum, ex unâ Personâ Christi duas faciebat. Intererant Episcopi 230. Quorum præcipui erant, *Cyrillus Alexandrinus*, & *juvenalis Hierosolymitanus*.

VII. *Concilium Chalcedonense*, quod celebratum est Chalcedone in Bithynia, Anno Christi 451. Imperat. *Martiano*, in quo explosa fuit hæresis *Eutychis*, qui sublatâ distinctione, è duabus in *Christo* naturis faciebat uuam. Intererant Episcopi 630.

Ut Symbola quinque superiora omnibus sunt nota; ita duo hæc Posteriora, præcipuè propter juniores, hic verbotim apponere placet.

Symboli Ephesini vice funguntur dvodecim Anathematisimi, à *Cyrillo Alexandrino* contra *Nestorium* concepti, quorum verba hæc sunt :

1. Si quis non confitetur, DEUM esse veraciter Immanuel, & propterea DEI Genetricem Sanctam Virginem (Peperit enim secundum carnem, carnem factum DEI verbum, secundum quod Scriptum est, Verbum caro factum est) anathema sit.

2. Si quis non confitetur carni Secundum substantiam unitam DEI Patris verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet DEUM simul & Hominem, Anathema sit.

3. Si quis in uno Christo dividit substantias (naturas) post unitatem solâ eas connexionem coniungens, eamque, quæ secundum carnis dignitatem sit, vel etiam authoritatem & potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.

4. Si quis in Personis duabus vel subsistentijs, eas voces, quæ in Apostolicis Scripturis continentur & Evangelicis dividit, vel quæ de

Christo dicuntur à Sanctis vel ab ipso, aliquas quidem ex his velut homini, qui præter DEI verbum specialiter intelligatur, aptaverit, alia autem, tanquam dignas DEO, soli DEI patris verbo deputaverit, anathema sit.

5. Si quis audeat dicere hominem Christum Θεοϋόγον, id est, Deiferum, ac non potius DEUM esse veraciter dixerit, tanquam Filium per naturam, secundum quod verbum Caro factum est, & communicavit, similiter ut nos, carni & Sanguini, anathema sit.

6. Si quis dicit, DEUM esse vel Dominum Christi DEI Patris verbum, & non magis eundem ipsum confitetur DEUM simul & hominem, propterea quod verbum caro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

7. Si quis velut hominem, JESUM operante DEO verbo dicit adiutum, & unigeniti gloriam, tanquam alteri præter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

8. Si quis audeat dicere, assumptum hominem coadorandum DEO Verbo, & conglorificandum & conuncupandum DEUM, & tanquam alterum cum altero (nam con Syllaba super adjecta hæc cogit intelligi) ac non potius unâ Supplicatione veneratur Immanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod verbum caro factum est, anathema sit.

9. Si quis unum Dominum JESUM CHRISTUM conglorificatum dicit à Spiritu Sancto, tanquam qui alienâ virtute per eum usus fuerit, & ab eo acceperit virtutem & efficaciam contra immundos spiritus, posse & coram hominibus divina signa perficere, ac non potius proprium ejus fatetur Spiritum, per quem divina signa explevit, anathema sit.

10. Pontificem & Apostolum confessionis nostræ factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis, in odorem suavitatis DEO Patri. Si quis er-

go. Pontificem & Apostolum nostrum dicit factum non ipsum DEI verbum, quando Caro factum est, & homo juxta nos homines, sed velut alterum prater ipsum specialiter hominem ex muliere; aut qui dicit, quod, pro se obtulisset semetipsum oblationem, & non potius pro nobis solis, (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit) anathema sit.

11. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius verbi DEI Patris, sed velut alterius prater ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria verbi, cuncta vivificare valentis, anathema sit.

12. Si quis non confitetur DEI verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est, & divinator ut DDUS, anathema sit!

### Concilium Chalcedonense ita sonat:

Sanctos itaque Patres sequentes, unum & eundem confitemur Filium, Dominum nostrum JESUM Christum, & concorditer docemus omnes: Perfectum in divinitate, & eundem perfectum in humanitate, verum DEUM & verum hominem, eundem ex rationali animâ & corpore; coessentialem Patri secundum divinitatem, & coessentialem Nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, dempto peccato. Ante secula, quidem genitum ex Patre secundum divinitatem, postremis vero diebus, propter nos & propter nostram salutem, ex Mariâ virgine & Deiparâ, secundum humanitatem; unum & eundem, JESUM CHRISTUM, Filium DEI, Dominum & unigenitum: in duabus naturis, inconfuse, inconvertibiliter, indivulse & in-

*ſeparabiliter manifeſtatum, haudquaquam differentiâ naturarum propter unitatem ſublata, ſed magis utriusque naturæ (in unam perſonam & unam hypochſin concurrentis) proprietate ſervatâ. Non ut in duas perſonas bipartiatur aut dividatur, ſed ut ſit unus & idem Filius, unigenitus, DEUS verbum & Dominus noſter JESUS Chriſtus: Sicut de illo olim propheta vaticinati ſunt, & ipſe nos Chriſtus inſtruxit, ac Patrum Symbolum nobis tradidit.*

Accuratè hîc notandum; quod hæc Sex ordine enumerata œcumenica Symbola, à Bb. Patribus conſcripta, non ſunt propriè alia à Symbolo Apoſtolico, ſed tantum Apoſtolici repetitio & declaratio, quâ in aliis alia quædam verba propter hæreticos, qui Symbolum Apoſtolicum, ob conciſam brevitate, quoquo modo falſis ſuis interpretationibus depravabant, plenioris explicationis gratiâ, adiecta.

#### Πόρση α Ι.

*Symbolum Apoſtolicum, licet contineat Apoſtolica dogmata, non tamen eſt compositum nec conſcriptum ab Apoſtolis.*

1. Eſt hoc conſectarium bimembre, (a) quod contineat Apoſtolica dogmata, (b) quod non ſit compositum, nec conſcriptum ab Apoſtolis.

(a). Omnes certè Articuli, concinno ordine, ac artiſicioſâ methodo, à principiò per media ad finem noſtræ ſalutis, quos veteres, juxta 12. Apoſtolos, in 12. Articulos ſpeciales, Lutherus verò in tres generales, reſpiciendo tres Divinitatis Perſonas, cum cujuſlibet perſonæ peculiariſus beneficijs, omnibus hominibus ex merâ gratiâ præſtitis, diſtribuit nil niſi Apoſtolicam Doctrinam exactè ſpirant, eique ex aſſe ſunt conſentanei. Si enim omnes hi Articuli fundati in Verbo DEI Scripto, ergo ad noſtram

stram doctrinam, Rom: 15: 4. exinde deducti ac nobis præscripti sunt.

Nam *Symbolum Apost.* est *comprehensio & perfectio fidei nostræ simplex, ut simplicitas audientium rusticitati, brevis, ut brevisitas memoriæ, plena (suo modo) ut plenitudo Doctrinæ consistat,* teste *Augustino Serm. 115. de temp.*

(b) Membrum quoque alterum facile probatur:

I. *Alto à Silentio,* tum *Sacræ Scripturæ,* tum *Historiæ Ecclesiasticæ.* Si *Apostoli congregati in unum Symbolum concurrissent,* post *Spiritus Sancti effusionem,* antequam in orbem exirent terrarum, idque eo fine, ut baptizandis, & sic omnibus hominibus id proponeretur, certè *S. Lucas Actorum Apostolicorum scriptor studiosissimus,* hanc rem, quæ tanti esset momenti, & præ alijs narratione longè dignissima, silentio non involvisset. Et quis credat, *Spiritum Sanctum,* qui hoc *Symbolum in usum Ecclesiæ Catholicæ perpetuum per Apostolos destinavit,* hujus rei nè minimum indicium per totum *Scripturæ canonem,* facturum fuisse? *Monstrat Potius ipse Spiritus Sanctus,* aliam in primitivâ *Ecclesiâ Catechisandi, & informandi baptizandos,* formulam, & quidem usurpata à *S. PETRO, Act: 2. v. 22. ad 42. & 10. v. 34. ad finem. à S. PHILIPPO, Act: 8. v. 5. 12. item v. 26. ad 40. à S. PAULO, Act: 16: v. 13. 14. 15.* At in hisce omnibus certè *Concionibus,* nec uspiam vestigium traditi *Symboli Apostolici,* reperire est. In *Catechesi quoque Apostolicâ, Heb. 6: 1. 2.* Et alia fidei capita, & diversâ serie proponuntur, utpote: *penitentia ab operibus mortuis, doctrina baptismatum & impositionis manuum,* quæ in *symbolo Apostolico planè omittuntur, nec aliorum è symbolo fit ibi mentio, Nisi fidei in DEUM, resurrectionis mortuorum, & judicii.*

*Histo-*

*Historia Ecclesiastica fidelis rerum in Ecclesiâ gestarum testis & custos*, neq; quicquam de Symbolo Apostolico, nec quod sit ab Apostolis congestum; nec in primitivâ Ecclesiâ, neq; Græcâ orientali, neq; Latinâ occidentali, usurpatum refert, usque ad seculum tertium & quartum, quo tempore primum Ecclesijs hisce, Symbolum totidem verbis, ac hodie habetur Apostolicum, innotuit, ac deinde successivè inter Christianos propagatum est.

II. *Ab absurdo*. Si Symbolum Apostolicum esset instinctu Spiritus S. ab Apostolis conscriptum, tum foret *Θεόπνευστον* ac pars Canonis fidei & verbi Divini, absque cujus additamento Sacra Scriptura esset imperfecta, & præter verbum DEI scriptum admittendum quoq; quoddam non scriptum. Quod falsum est, & hæcenus constanter negatum ab *orthodoxis contra Pontificios*. Quò etiam libri nostri Symbolici abeunt, dum Symbolum hoc Apostolicum, uti etiam Cætera, exactè differre à verbo DEI, quod in scripturâ sacrâ unicè comprehendi omnes asserunt orthodoxi, distinguunt.

III. *Ab incommodo*. Si hoc Symbolum esset Apostolicæ auctoritatis, providentiâ divinâ conservatum fuisset in Ecclesia, absq; omnium additionis tum subtractionis mutatione. Sed contrarium testantur Historia, & *Gisbertus Voetius* ita dicit: *Non esse uno tempore compositum Symbolum, sed successivè aliis hoc, aliis alios articulos, & quidem serò seculis aliquot post Apostolos adijcientibus, adeoque non esse constructum ab Apostolis. Est ergo hoc Symbolum conditum ab Apostolicis viris, qui Apostolos ipsos vel immediatè, vel mediatè audiverint, & ex eorum scriptis & oralibus concionibus confectum, & in hunc ordinem digestum.*

Quod observandum contra *Novatores, Pontificios & Scholasticos*, quosdam *PseudoPatres*, sibi, ut somniant, faventes, hocce in passu,



## Πόρισμα II.

*Symbolum Apostolicum non continet omnes Articulos fidei, nec est nota discretiva Hæreticorum ab Orthodoxis.*

I. Constat hoc confectarium duobus membris (a) quod non contineat omnes Articulos fidei Symbol. Apostol. (b) nec discernat Orthodoxos ab Hæreticis. Prius (a) facile stabiliunt hæcce sequentia:

I. *Articulorum insufficientia.* Omittuntur in Symbolo hocce multi articuli, maxime necessarii. Utpote: de *Providentiâ Divinâ*, de *Scripturâ Sacrà*, de *Angelis*, de *Imagine DEI in homine*, de *Peccato*, de *Libero arbitrio*, de *Prædestinatione*, de *Unione Personali*, de *Meriti Christi Universalitate*, de *Justificatione per fidem*, de *Lege*, de *Pœnitentia*, de *bonis Operibus*, de *Sacramentis*, de *Ministerio Ecclesiastico*, de *Magistratu politico*, de *Conjugio &c.* Non itaque pro sufficienti & plena norma credendorum haberi potest.

II. *Insufficiens consequentia.* Nam licet aliquot Articulos, quos Symbolum Apost. ἀνελεξὴ καὶ κατὰ τὸ ῥηθὲν, secundum literam & sonum non complectitur, possimus exindè κατὰ διάνοιαν, per bonam consequentiam, deducere, interim tamen non omnes. Sicut ipse Discursus, bono cum DEO, demonstrabit.

III. *Vera sententiæ Evidentia.* Nam: (a) Disting: inter: complexiōnem virtuales & formales, summam ac implicitè, & particulatim ac explicitè consideratam. Quando Augustinus & Lutherus alique Theologi, celebrant Symbolum Apostolicum ut formulam omnium articulorum fidei & religionis summariam, vid. pag. 126. 127. Disp. Præceditem ut Compendium articulos Fidei complectens: tum loquuntur de Complexione articulorum fidei virtuali, quod scilicet Symbolum hoc summam & implicitè doctrinæ

Apostolicæ & Christianæ capita atque brevem fidei summam, contineat: Non verò quod *formaliter per partes omnia credenda, seu omnes articulos fidei explicitè, expressè atque specificè, exhibeat.* (b) Licet *Symbolum hoc* sit tessera discernendi Christianos à Paganis, Judeis & Turcis, Symbolum ignorantibus; interim tamen non est nota discretiva *Christianorum orthodoxorum ab Hæreticis.* Id quod quoque probatur:

I. *A Symboli recitatione.* Ipsi enim Hæretici Symbolum Apostol. recitant, atque ad consensum cum eodem provocant; interim tamen non sunt orthodoxi Theologi aut veri christiani. *Matth. 7. 21. 22. 23. 2. Tim. 3. 5.*

II. *A Falsâ Imaginatione.* Imaginantur enim sibi: *ut, quicumque Symbolum Apostolicum suscipiunt, Catholica Ecclesiæ membra, & Cives Regni Christi haberi debeant, nequaquam verò ceteri Hæretici damnandi sint, quoscunq; etiam errores foverint, inquit B. Calov. in Syft. Theolog. Tom. I. c. 2. q. 16.* Jurant spondentque se omnes lege *Symboli Apostolici* staturos & casuros, atque hoc unum in nobis indignè ferunt: *quod requisita & notas veri Christiani requiramus plures, quam hoc Symbolo expressæ sunt.* Verum hæc confessio Symboli Apostolici externa & oralis, non est tessera communionis internæ spiritualis, ideo *Syncretismum* cum illis inire non possumus, recipiendo eos in civitatē & fraternitatem nostram in Christo, *2. Cor. 6. 14. 1. Tim. 6. 3. 4. 5. 2. Joh. v. 10, 11.*

III. *Ab in sensu Dissensione.* Licet convenient *Hæretici cum orthodoxis in consensu Symboli Apostol. interim tamen dissentiant in sensu & applicatione.* Ira exempli gratiâ: *Articulum de fide in Filium DEI unigenitum* suscipiunt quidem cum orthodoxis à Ecclesiâ omnes *Sectæ* inter Christianos, sed longè alio sensu, quo etiam inter semetipsos discrepant, alio *Samosateniani, Photiniani & Sociniani, alio Ariani, alio Sabelliani, alio Orthodoxi.*

Si

Si jam id tantum de fide est, & creditu necessarium, in quo illi omnes in eo Articulo consentiunt, quid certi de eodem credendum erit, præter externū verborum corticem? Siquidem in sensu eorundem omnimodus vigeat dissensus. Num verò fides sita est in verborum cortice, annon potius eadem in sententia verbis significata consistit? Et ita statuendum est de omnibus reliquis articulis. Idiplum docet & nos *August.* Serm. 181. de Temp: inqviens: *Symbol. Apost. est tanquam tabula Apellea clarissimè depicta, per quam Credentes Catholicam & orthodoxam tenerent unitatem, & pravitatem convincerent hæreticam, per sani sc. sensus & genuinam verborum convenientiam.*

De hisce omnibus Valde nervosè differit *B. Lutherus* in *Catechismo suo majori* pag. 503. sub finem *Symboli Apost.* dicendo: *Proinde ij Articuli nostræ fidei, nos Christianos ab omnibus aliis, qui in terris sunt, hominibus separant. Quicumque enim extra Christianitatē sunt, sive Gentiles, sive Turca, sive Judæi, aut falsi etiam christiani & hypocritæ, quæquam unum tantum & verum DEUM esse credant & invocent: Neque tamen certum habent, quo erga nos animatus sit animo, neque quidquam favoris aut gratiæ de DEO sibi polliceri audent aut possunt: quæm obrem in perpetua manent ira & damnatione. Neque enim habent Christum Dominum, neque ullis Spiritus Sancti donis & dotibus illustrati & donati sunt.*

2 Hoc *πρόσιμα* ita ritè explicatum, atque validis rationibus munitum, observandum est contra varias Sectas, sinistrè de rei hujus veritate judicantes, præcipuè verò contra quosdam *Scholasticos*, quosdam *Jesuitas*, quosdam *Calvinianos*, *Arminianos*, *Socinianos*, *Syncretistas*, *Calixtum*, *Drejerum*, *Latermannum*, aliosque fanaticos *Spiritus*, pluris sua somnia & opiniones, quam verbum *DEI* æstimantes. Vid. *Jerem: 23: 20.*

## THESIS XXIV.

*Symbola recentiora & ratione minus Solemnis approbationis particularia, Lutheranaq; Ecclesie propria sunt, Augustana Confessio invariata, ejusdem Apologia, Articuli Smalcaldici, Catechismus uterque Lutheri, & Formula Concordiae strictè sic dicta.*

*Hic observandum:*

1. *Ob consensum doctrinae caelestis, diversis in locis praedicatae, libri Symbolici conscribuntur. Qui & ab Ecclesiis plurimis acceptantur, non ut veritas articulorum fidei demum cognoscatur, quæ jam antea ex Scriptura debet esse cognita, sed ut sensus ille publicè innotescat, puritasque doctrinae contra communem hostem a pluribus asseratur, & denique τύπος ὑγιαίνόντων λόγων in docendo passim ab omnibus observetur.*

2. *Libri Symbolici sunt confessiones publicae, ab Orthodoxis publica autoritate exaratae, summam doctrinae salvificae ex Scriptura Sacra repetentes, ad DEI Gloriam, veritatis salvificae propagationem, & seductionis exclusionem.*

3. *Symbolum est nota, non fidei, sed symbolo subscribentis, qui sua subscriptione ad certam docendi formam, & fidei professionem se obligat; quemadmodum horologium non est norma motus caelestis, sed actionum civilium apud omnes certæ alicujus civitatis incolae.*

Horum librorum Symbolicorum Omnium primus est

1. *Augustana Confessio, Quæ est Symbolum publicum quarundam Ecclesiarum, ( primum Germaniae ) de præcipuis Religionis Capitibus, ex verbo DEI conscriptum ac approbatum, & Augusta Vindelicorum, in Imperialibus Comitibus Carolo V. Imperatori, 1530. 25. Junij, exhibitum, ad reddendam fidei rationem, & adversariorum Calumnias refellendas. Dicitur invariata, ut à confessione Witebergæ, privata aucto-*  
rica-

ritate à *Philippo Melanchthone*, proprio & privato ausu 1540. mutata, discernatur.

II. *Apologia Augustana confessionis* est, quâ ipsa adversus confutationem Papisticam Augustæ adornatam, jussu Principum & Statuum, auctore Philippo, durantibus adhuc Comitibus est defensa.

III. *Articuli Smalcaldici* ab ipso B. *Luthero* sunt conscripti Anno Chiristi 1537. eum in finem, ut in promptu esset confessio brevior, quæ consilio, si quod futurum esset, exhiberetur, nomine Ecclesiarum nostrarum. Exponunt illa Doctrinæ cælestis capita, in quibus inter nos & Pontificios partim consensus partim dissensus.

IV. *Uterque Catechismus Lutheri Major & minor*, quem pro pretioso thesauro omnes merito habebunt, quia totius S. Scripturæ compendium est, brevisque & summaria illius descriptio. De Hocce clenodio egimus antea Disp. 4. p. 53. 54. &c.

V. *FORMULA Concordiæ*, seu Epitome Undecim Articulorum & solida eorundem declaratio, de quibus inter Theologos Aug. confessioni addictos controversiæ ortæ fuerunt. NEMPE: 1. de peccato originis, 2. de libero Arbitrio, 3. de Justificatione, 4. de bonis operibus, 5. de Lege & Evangelio, 6. de tertio usu legis, seu nova obedientia, 7. de Cæna Domini 8. de Persona Christi, 9. de Descensu Christi ad inferos, 10. de ceremoniis Ecclesiasticis, 11. de Prædestinatione, seu DEI electione.

Diximus antea pag. 52. Disp. 4. quod Formula Concordiæ sumitur dupliciter: 1. *μερικῶς*, specialiter, pro undecim hisce Articulis, quos vide suo loco, in Libro Concordiæ; Et *ὀλικῶς*, totaliter, ut est Liber, qui vocatur *Formula*

*mula concordia*, & continet Ecclesiæ Lutheranæ omnes libros symbolicos, nempe *Augustanam Confessionem, ejusdem Apologiam, Articulos Smalcaldicos, Catechismum utrumque Lutheri, & Formulam concordie* in specie sic dictam, præmissis *Symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano*. Publicatio hujus libri facta est Anno 1580. 25. Junij, quo ante 50. annos *Confessio Augustana Imperatori Carolo v. oblata fuit, autoritate & sub nomine trium illustrissimorum Principum Electorum, aliorumque plurimorum piorum Principum, Comitum, Baronum & Ordinum Imperii, adeoque Theologorum magno numero Augustanae confessioni univocis addictorum*, ut hæc Augustana Confessio invariata, adversus calumnias varias assereretur, ejusdemque genuina sententia, quantum ad articulos, tum controvertos, a verbo DEI Vindicaretur, ac ceu Symbolum Ecclesiarum nostrarum reciperetur, cujus doctrinam vere divinam nullus negat, nisi à veritate divinâ alienus heterodoxus.

Ideoque hunc librum, qui vocatur **FORMULA CONCORDIÆ**, omnes libros Ecclesiæ Lutheranæ Symbolicos complectentem, *Sudiose Juventuti* apprimè commendamus, ut eundem sibi comparent. Idque ob sequentem doctrinæ methodum quam ostendit **Formula Concordiæ** in specie sic dicta.

**PRIMO**: *Credimus, confitemur & docemus unicam regulam & normam, secundum quam omnia dogmata, omnesque Doctores aestimari ac judicari oporteat; nullam omnino aliam esse, quam Prophetica & Apostolica scripta cum veteris tum novi testamenti, ut limpidissimi purissimique Israelis fontes, sicut scriptum est: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis Ps. 119. Et didus Paulus inquit: Gal. 1. Etiamsi Angelus de caelo, aliud*

aliud Evangelium predicet, anathema sit. Reliqua verò scripta sive Patrum seu Neotericorum, quocumque veniant nomine, sacris literis nequaquam sunt equiparanda, sed universa ita illis subjicienda sunt, ut aliâ ratione non recipiantur, nisi testium loco; qui doceant, quod etiam post Apostolorum tempora, & in quibus partibus orbis, doctrina illa Prophetarum & Apostolorum sincerior conservata sit.

SECUNDO: Et quia statim post Apostolorum tempora, imò etiam cum adhuc superstites essent, falsi doctores & heretici exorti sunt, contra quos in primitivâ Ecclesiâ Symbola sunt composita, id est, breves & categoricæ confessiones, quæ unanimè catholica christiana fidei consensum, & confessionem orthodoxorum, & veræ Ecclesiæ complectebantur, ut sunt Symbolum Apostolicum, Nicense & Athanasianum, profiteamur publicè nos illa amplecti, & rejicimus omnes hæreses omniaque dogmata, quæ contra illorum sententiam unquam in Ecclesiam DEI sunt inducta.

TERTIO: quod verò ad schismata in negotiis fidei attinet, quæ in nostra tempora inciderunt, judicamus unanimem consensum, & declarationem christianæ nostræ fidei & confessionis, in primis contra Papatum, & hujus falsos ac idololatrios cultus & superstitiones, & alias sectas, esse nostri temporis symbolum, Augustanam illam primam, & non mutatam confessionem, quæ Imperatori Carolo V. Augustæ Anno 1530. in magnis imperii comitiis est exhibitæ: Similiter & Apologiam, (quæ in eâ non modò Augustana confessio perspicuè explicatur, atque ab Adversariorum calumniis vindicatur, verum etiam clarissimis & solidissimis sacra Scripturæ testimoniis confirmatur) & Articulos Smalcaldicos Anno salutis 1537. conscriptos, & illius temporis principum Theologorum subscriptione comprobatos atque receptos. In iis enim Articulis doctrina Augustanæ confessionis repetita est, &

*Et in quibusdam articulis amplius ex verbo DEI declarata: Et insuper fundamenta monstrata Et graves causæ recitate sunt, cur à pontificiis erroribus Et idolomaniis secessionem fecerimus, cur etiam in iis rebus cum pontifice Romano nobis convenire non possit, quodque cum eo in illis conciliari nequeamus.*

*QUARTO: Et quia hæc religionis causa ad laicos, quos vocant, quoque spectat, eorumque perpetua salus agitur: profitemur publicè nos etiam amplecti minorem Et Majorem Doct. Martini Lutheri Catechismos, ut ii tomis ejus sunt inserti: quod eos quasi laicorum Et vulgi biblia esse censeamus, in quibus omnia illa breviter comprehenduntur, quæ in sacrâ Scripturâ fusiùs tractantur, Et quorum cognitio homini Christiano, ad aternam salutem est necessaria.*

*AD has rationes paulo ante monstratas, omnis doctrina in religionis negotio conformanda est, Et si quid iis contrarium esse deprehenditur, id reiiciendum atque damnandum est: quippè quod cum unanimi fidei nostræ consensu Et declaratione pugnet. Hoc modo luculentum discrimen inter sacras veteris Et novi testamenti literas, Et omnia aliorum scripta retinetur, Et sola sacra Scriptura index, norma Et regula agnoscitur, ad quam ceu ad lydium lapidem, omnia dogmata exigenda sunt Et judicanda, an pia an impia, an vera, an verò falsa sint? cetera autem symbola, Et alia scripta, quorum paulò ante mentionem fecimus, non obtinent auctoritatem judicis: hæc enim dignitas solis sacris literis debetur, sed duntaxat pro religione nostrâ testimonium dicunt, eamque explicant ac ostendunt, quomodo singulis temporibus, sacre literæ in articulis controversis in Ecclesiâ DEI à Doctoribus, qui tum vixerunt, intellectæ Et explicatæ fuerint, Et quibus rationibus dogmata cum Sacra Scriptura pugnantia rejecta Et condemnata sunt.*



## THESIS XXV.

*Articuli Augustanæ Confessionis sunt per totum 28. quorum 21. (a) Doctrinales, 7. vero (b.) ceremoniales sunt.*

I. (a) DOCTRINALES fidem exponunt & ejusdem opposita, b. e. errores perstringunt. In quibus de præcipuis doctrinæ cœlestis & christianæ religionis capitibus fit confessio: Ut 1. de DEO in essentiâ uno & in Personis trino; 2. de Peccato originis; 3. de Personâ & officio Christi; 4. de Justificatione; 5. de Ministerio Evangelii & Sacramentorum; 6. de bonis Operibus; 7. de Ecclesia; 8. de Mixturâ bonorum & malorum in Ecclesia; 9. de Baptismo; 10. de Cœnâ Domini; 11. de Confessione; 12. de Pœnitentiâ; 13. de Ufu Sacramentorum; 14. de Ordine Ecclesiastico; 15. de Ritibus seu Ceremoniis Ecclesiasticis; 16. de Ordine politico & Rebus civilibus; 17. de Extremo Judicio; 18. de Libero Hominis arbitrio; 19. de Causâ peccati; 20. de Collatione Doctrinæ Evangelicæ & Pontificiæ, de Fide & bonis operibus; 21. Denique de cultu Sanctorum.

II. (b) CEREMONIALES verò vitia & errores tam fidei quam Cultus in Ecclesiam Romanam illapsos reprehendunt, recitando septem articulis abusus mutatos, utpote: 1. de Utraque Specie in Cœna; 2. de Conjugio Sacerdotum; 3. de Missâ Pontificiâ; 4. de Confessione; 5. de Discrimine Ciborum; 6. de Votis Monasticis; 7. de Potestate Ecclesiasticâ.

In singulis autem Articulis, principio quidem proponuntur λόγῳ ὑγιάνοντες, 2. Tim: 1. 13. sive sana & perpetua Scripturæ & Ecclesiæ de unoquoque capite fidei doctrina; Deinde verò expresse damnantur & rejiciuntur διέτεροδιδασκαλίαι, qui videlicet doctrinam aliam sive contrariam Ecclesiæ obtrudunt. Est autem utrumque in Ecclesia semper necessarium, & vera dogmata proponere, & falsa rejicere: Ne illis contentis, hæc imprudentibus auditoribus per socordiam

imponant. Quapropter & ipse *Dominus*, explicatâ lege, *cavere jubet à Pseudoprophetais*, & *Apostolus Episcopum requirit, non modo διδακλικόν, qui est ipse doctus, & docere possit alios, sed etiam qui possit ἐλέγχειν καὶ ἰπισμύζειν τὰς ἀνελέγοντας.* Matth: 7: 15. Tit: 1: 9. 11. Neque hac errorum damnatione, improbatione aut rejectione, quicquam peccatur contra charitatem proximi: Cum eam longissimo intervallo præcedat charitas DEI jubentis vitare falsa dogmata.

πέρισμα I.

*Augustana Confessio maximi pretii ac dignitatis est censenda atque estimanda.* Idque

1. *Ob luci celebritatem.* Locus ubi hæc confessio edita fuit, est urbs Augusta, denominata à Cæsare Augusto, sub cujus regimine Christus natus est, Luc: 2. v. 1. Ita hacce singulari confessione, Christus Augusto sydere, Augustæ, tanquam in præsepi spirituali est renatus, atque è vulvâ tenebrarum papisticarum feliciter eluctatus: Germanicè vocatur Propugnaculum Augusti, vel Augsbürg/ oculi pupilla, quæ, ut parva quantitate, at maxima in virtute; ita hæc confessio, licet paucis Articulis contenta sordescit ac contemnitur in oculis superbiorum adversariorum, interim tamen est fidei propugnaculum, & potentia DEI, ad salutem cuivis credenti, Rom: 1: 16.

11. *Ob ejus cum verbo DEI conformitatem.* Sunt enim omnes articuli & quoad thesin & antithesin ex puro DEI verbo extracti, ejusdem testimoniis perspicuis corroborati, ut ex scriptis nostratium Theologorum factis superque est demonstratum. Ergo contra blasphemias

mos calumniatores Pontificios, dictitantes Religionem Lutheranam esse Augustæ natam, distingvendum est 1. inter religionem & confessionem. Religio verbo DEI superstructa, Ephes: 2: 20. est antiqva, verum confessio Fidei antiqvæ & religionis est nova, atqve Augustæ edita. Concio â me die solis è suggestu habita, est nova qvoad confessionem fidei coram populo; interim tamen, qvia, laus DEO, fidei fuit analogâ, Rom: 12. qvippe concepta, secundum scripta Prophetarum & Apostolorum, ideo est antiqva, atqve cepit in paradiso. 2. Disting: inter confitendi actum, qvi recens, & confessionis subjectum, hoc est materia & dogma, de qvo confessio editur, qvoad est antiqvum, ipsiqve verbo DEI coævum. 3. Confundunt itaqve isti malitiose fidem ipsam antiqvam, & personam, cujus recenti ministerio, fides antiqva propagatur. 4. Confundunt professionem fidei, & Personas profitentes; 5. Confundunt principium religionis, Scripturam propheticam & Apostolicam, fidei nostræ antiqvissimum fundum & fontem, & publicas de religione confessiones: qvæ ipsæ cum ex Scripturis desumantur, etsi sint recentiores, Religio tamen ipsa, super qva eduntur, antiqva semper eademqve manet. Est ergo hæc confessio antiqvo-nova; antiqva, propter ejus cum verbo DEI puro consonantiam, nova verò, propter confessionis liberæ licentiam.

III. *Ob Confessorum auctoritatem*: non enim privata unius alicujus auctoritate, aut ab uno, eoqve obscuro homine consignata, sed illustrissimorum Principum, nempe: 1. Electoris Johannis Ducis Saxonix, 2. Georgii Marchio Brandenburgici, 3. Ernesti Ducis Luneburgensis, 4. Philippi Langravii Hessorum, 5. Johannis Friderici

ci Ducis Saxoniz, 6. Francisci Ducis Luneburgensis, 7. Wolfgangi principis ab Anhalt, nec non duorum senatum Norimbergensis & Reutlingis, qui id genus doctrinæ amplexi fuerant, mandato, ab illo ipso B. Lutero, qui Antichristo larvam detraxerat, quoad 17 Articulos delineata primum, ac clarissimorum Theologorum reliquos articulos suppeditantium suffragio, à Philippo Melancthone, jussu *Elect. Saxon.* conscripta, ac censuræ Lutheri, mediâ viâ Coburgi, ob exosum adversariis ejus nomen, subsistere coacti, equis dispositis, transmissa ac subjecta summo cum periculo, *Potentissimo Imperatori Carolo V. 25. Junij, 1630. est exhibitâ.* Ac presentibus Ferdinando Bohemorum Rege, ut & Statibus imperii tam Ecclesiasticis quam secularibus, imò in Optimum totius imperii consensu splendidissimo prælecta. Idque factum, non privatâ quadam pertinaciâ aut Pape Romæ odio; sed æternæ salutis studio, veræque Religionis ac innocentiz defendendæ causa. Ideo illum diem, quo hæc confessio est exhibitâ, maximè censet B. Lutherus esse celebrandum, ut verè divinum, inquit: *In nulla historia legitur, quod coram tam eminentissimis potestatibus, instantibus præcipue maximis periculis, omnium Articulorum fidei ac Christiane purioris doctrinæ capitum confessio, à tam heroicis ac illustribus confessoribus, simul & semel, animo intrepido, sit edita, ut factum Augustæ, Anno 1530. 15. Junii. Tom 5. Jen. Fol. 29. 30.*

14. OB refutationis impossibilitatem. Ut verbum DEI, ita & hæc confessio exinde deducta, ut Marpesia rupes stat immobilis. Refutationem quidem ejusdem Pontificis in ipsis statim Augustanis comitiis, sed valde frigidis ac plumbeis argumentis, adornarunt; Ideo *Apologia confessionis* illi fuit opposita. Imò in hodiernum usque diem, nihil contra

tra eam plausibile afferre potuerunt, nisi quod usurpent praxin Phariseorum contra Christum, Matth: 8. ubi deficiunt verba, ibi properant ad minas, persecutiones & verbera, optantes ut tota hæc radicitus extirpetur confessio. Sic enim quidam Jesuitarum provincialis, apertis dixit verbis: *Nisi Augusta Augustana comburatur confessio, nostra societas & Catholica Ecclesia pacem & tranquillitatem ibi habere non potuerunt.* Sed pupillam hanc Ecclesiæ suæ DEUS usque huc conservavit sartam, tectam, integram, imò conservabit, auspice JESU, usque ad finem mundi, imò in sempiterna secula, quia verbum DEI manet in æternum.

V. OB propagationis ratione (a.) terrarum, & (b.) linguarum, *Celeritatem.* Prius (a.) probat ipse Cardinalis, sui ipsius immemor, vi veritatis adauctus, *Bellarminus*, dum in præfat: primo Controversiarum tomo præfixa, sic ait: *Quis ignorat Pestem Lutheranam in Saxonia paulò ante exortam, mox Germaniam penè totam occupasse: Inde ad Aquilonem & orientem profectam: Daniam, Norwegiam, Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumsisse: tum ad occidentem & meridiem pari celeritate delatam, & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam Regna, brevi tempore populatam: ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usque penetrasse.*

Posterius (b) quoque verum. Nam translatum est Germanicum & Latinum Exemplar, in linguam vernaculam, cuique nationi propriam, nempe, ut ab omnibus legi possit: *Hebraeam, Grecam, Hispanicam, Italicam, Gallicam, Belgicam, Anglicam, Danicam &c.* 1593. ex Decreto Consilii Ulbsaliensis, lingua Svecanà & ex eadem deinde Finnonicà, est donata & typis excusa, atque 1693. recusa, Idq; omne eum

eum in finem, ut diminuatur *Papa* & *Diaboli*, augeatur verò regnum *DEI* & *Christi* ejus. *Apoc.* 12: 10. Quare claudio hoc *πρόσμα* verbis *B. Doct. Pappi*, hoc modo: *Laude* Igitur & commendatione dignissima hæc est, *Augustana* quæ dicitur, *Confessio*: Nam singulari *DEI* *Instinctu* primum conscripta, ab eodem hætenus *Conservata*, à *summis Magistratibus* approbata, ab *Exteris* admissa, a nullo *Adversario* labefactata & convulsa est. Quapropter in omnibus, etiam *Germanie* ( *Imò* & *Sveciæ* ) *Ecclesiis* & *Scholis*, in hunc usque diem *Regula* fuit, secundum quam & *ἰσότητος* *sana* traderetur *doctrina*, & *Adversariorum* reprimerentur *impetus*: Et artes denique *Eorum* patefierent, qui nihil se verbo *DEI* *Contrarium* adferre volunt *videri*.

## πρόσμα II.

*Beatus Martinus Lutherus*, opere *Reformationis Religionis*, ingentia beneficia, *sempiternâ memoriâ*, gratiâque *immortali digna*, exhibuit *Ecclesie DEI*.

1. *Div. Lutherus* enim deformationem *Ecclesiæ Romanæ* & *ἀπερείσιαν* ab antiquâ *Apostolica* veritate ostendens, nullam *Religionem* constituit novam, sed primam & antiquissimam veritatem repurgatam pristino restituit nitore, sicut probavimus *Disput. 1. & Thes. 3. totâ*, quæ huc applicanda est, sicut & *sparsim* in omnibus reliquis *Disput. Promissum*, quod cum omne cadat in debitum, à me de operibus *Lutheri* pag. 12. num. 3. antea factum, hoc *πρόσμα* aliquo modo ita folevre potest.

Ut deformatio religionis ab *Antichristo* & ejus *asseclis* facta fuit in tribus: 1. in *doctrinâ*, nempe *erroribus*, 2. in *vita*, *perversis moribus*, 3. in *ceremoniâ*, *novitatibus*. I-

ra ejusdem reformatio<sup>is</sup> iisdem tribus est instituta. Divus namque *Lutherus* legitima vocatione gaudens, & divinitus excitatus. pag. 8. 9. 11. 12. Dis. I. I. *Errores in doctrinâ*, 2. *Lapsus in vitâ*, 3. *Novitates in ritibus Ecclesiasticis*, ad normam verbi Divini, examinavit, rejecit, improbavit, & tam doctrinæ veritatem, quam vitæ probitatem, atque singulis in statu Ecclesiastico, politico, & œconomico viventibus, veram pietatem, cum infallibili in vita & morte solatio, ex verbo revelato ostendit, unde insignis hujus Reformationis elucescit, (a) *Necessitas*, (b) *Utilitas*, (c) *Dignitas*.

(a) *Necessitas Lutherus non Ecclesiam ipsam taxavit aut damnavit, sed Papatum, ejusque errores, lapsus, atque traditiones humanas, Ecclesiam deformantes, quemadmodum ipse Christus Salvator Ecclesiam Judaicam reformando Pharisaorum Doctrinam, quatenus cum Mose & Prophetis consentit, approbat, Matth. 23. 2. 3. rejectis eorum erroribus & traditionibus. Unde fluit (b.) ejusdem Utilitas:*

1. Unum enim *Articulum fidei post alterum, DEO negotium illud moderante, illustravit, a scoriis papisticis repurgavit, in fundamenta ipsa inquirendo accuratius errorem unum post alterum, cum fides sit una copulativa, detexit. Præcipue vero quoque Articulum de hominis Peccatoris coram tribunali DEI gratuita, vera fide in Christum, justificatione, ex tenebris Pontificis in lucem, ex valle errorum in viam veritatis reduxit. Qui Articulus est Ακρόπολις totius Christianæ Religionis, teste B. Chemnitio, part. 2. LL. Theol. de just. dum ita inquit: Hic Locus est tanquam arx & præcipuum propugnaculum totius doctrinæ Christianæ & religionis, quo vel obscurato vel, adulterato, vel subverso, impossibile est puritatem doctrinæ in aliis locis retinere.*

*Salva*

Salvo autem hoc loco, corruunt per se omnes idolomania, superstitiones, & quicquid est corruptelarum, in omnibus ferè aliis Locis. Et B. Meisnero, de justifi. Est hic Articulus quasi centrum Theologiae, ad quod omnia collimant; Sacer oceanus, in quem omnia confluunt; Arca fidei, quae omnia servat tuta & illibata. 2. In vita, viva opera ex fide fluentia, etsi ad fidem salvificam & justificam, quae a talem, constituendam, non faciunt, asseruit. 3. Ceremonias quoque apostaticas, pontificias verbo DEI contrarias ut inutiles & idololatricas, abrogavit, utiles vero Apostolicas verbòque DEI conformes, ut in Ecclesiâ ad edificationem serventur, iussit. Sicut dicit Artic. 7. Aug. Conf. Ad veram unitatem Ecclesiae satis est, consentire de Doctrina Evangelii & Administratione Sacramentorum. Nec necesse est, ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus aut ceremonias ab hominibus institutas. 4. Composuit quoque hic Megalander DEI hymnos spiritu DEI plenos, & 5. preces ardentissimas & efficacissimas, reliquis ejus operibus ob paucitatem pagellarum hec omisit. Maxime tamen 6. celebranda est ejus versionis Germanicae Bibliorum, incredibili diligentia elaborata, dexterias & felicitas.

Ex hisce omnibus promanat reformationis (c.) Dignitas: ut à temporibus Apostolorum majus opus in Ecclesiâ DEI hocce opere reformationis non contigerit, ideo gratâ memoriâ, juxta mem 3. porismatis, illud meritò est celebrandum. Nomen Martini Lutheri, tanquam Electi DEI organi fuit per divinam gratiam, & Ipsi & Papatui fatale: Martini, à Marte quia tanquam fortis miles JESU Christi, aperto Marte cum Bestiâ Romana, & omnibus ipsi adhaerentibus fuerat congressus; Lutheri à Germ. Luthren/ Svet. Keena/ Luttra/ quia Doctrinam Caelestem superiobus Annis & temporibus miris modis corruptam, à fermento Pontificio depurgavit, suoque nitore restituit.



In cujus rei gratam memoriam, elapso seculo integro, postquam *Lutherus*, edictis Theſibus contra *Texelii indulgentias*, An: 1517. *Wittenbergæ* primum disputa- vit, & seſe deinceps *Papatus* oppoſuit, ſingularique zelo, Religionem paſſim preſſam, nutu Divino reformavit: *Johannes Ernestus* Saxonix Elector, Anno 1617. feſtum Jubilæum indicit, quo DEO per triduum, nempe die 31. Octob. 1. & 2. Novemb. Solennes gratix pro accenſa Evangelii luce actæ ſunt. id quod indicavit jucunda pictu- ra Effigiei hujus Pii Principis in Bibliis NiireMBER- genſibus, præfixa: *Stat ex una parte ipſe Elector, ex alterâ verò ipſe Lutherus, in medio autem illorum, ſuper menſam, appoſitum eſt incenſa ac ſagranti candelâ candelabrum, hac inſcriptione: Rom. 3. Juſtificamur ſolâ fide abſque operibus legis. Exemplum hoc plures Eccleſiæ aliæ traxerunt ad imitationem, ut Spi- ra & Argentina; Imò & in Electoratu Palatino & Brandeburgico jubilei dies ſunt habiti, & gratiarum actionibus publicis dies ad minimum duo addicti fuere. teſte *Setho Calviſſo*.*

EANDEM OB cauſam, in memoriam Religionis, an- te centum Annos, ſub Avo Paterno Divinis plane auſpi- ciis reformatæ, atque liberationis Patriæ à Chriſterni II. graviffimâ Tyrannide, Sabbathum jubilæum, feſti- vâ lætitia & ſingulari in DEUM pietate devotiſſimè ce- lebrandum Diplomate Regio demandavit Potentiſſimus Rex, *Guſtavus Adolphus Magnus*, inter alia quoquè hiſce verbis: *Sub quo fatali ſtatu Patriæ, excitabat DEUS noſtrum Abum, Sanctæ recordationis Herôa, Guſtavum I. Regem Sve- cix, qvi magnanimo ac feliciffimo factô capit; An. Chr: 1521. 21. Jan. liberare Patriam oppreſſam, reprimendo Tyrannidem Reg. Chriſtierni II. Uſus eſt etiam DEUS prænominate no- ſtro Avo velut inſtrumento, ad expugnandas de Patriæ tene- bras.*

*bras Papisticas, & illuminandos Patriotas, ut lucem Evangelii viderent, in quâ patefactâ veritatis viâ, hodieque conjunctis animis ambulamus. Ideò placet instituire, hoc centesimo Anno 1621. Jubilæum, sive Solemnes Dies Precationum & publicarum concionum, videlicet hos tres, 21. Jan. 21. Febr. 21. Martii. Quos dies sacro usui destinamus, & ab omni labore servili vacuos hoc Anno destinamus. Plura, hocce festo memoratu digna, habet Bazii Hist. Eccles. lib. 6. cap. 18. & 19. Quæ vide.*

Ante triennium, felicem, beneficiorum DEI Ecclesiæ Christi in Regno Sveo-Gothico, per concilium Ubsaliense, exhibitorum, *Dominica esto mihi Anno 1693. TRANSACTA PERIODO SECULARI, ad mandatum Sacræ Regiæ Majestatis clementissimum, devota (a) Pietate, magnificâ (b) solemnitate, atque munificâ (c) festivitate, Recordationem, celebravit universa patria. Pietas, (a) certe cernebatur cum in verbis, tum in rebus. In verbis quidem: Nam ex omnibus Templorum suggestibus totius Regni, recitata est, finitis sacris concionibus, publica gratiarum actionis & precationis, typis excusa, & ad id destinata Formula (eam vero exemplari 1693. impresso, Decretum Ubsaliense continenti, ad calcem libri affixam, videre licet) quam post canebatur: Te DEUM laudamus &c. In rebus etiam, hæcce singularia & Divina beneficia antea deprædicata, adumbrantibus, sequentia fuere conspicua: I. *Holmiæ explosa sunt 360 metallica Tormenta, sicut & in omnibus aliis Regiæ Majestatis Arcibus & domibus, per totum Regnum, quotcunque ibidem sunt inventa. II. Versus Orientem in sede Regiæ Holmensi, æquè in Arcis, Templorum ac omnium domorum fenestris, in urbe & suburbiis, luminaria ingentis multitudinis, ab hora sexta in secundam noctis arserunt, in portis**

*tis arcis & circumcirca erectæ erant ignea columna complures, quæ insignem fulgorem ac lucem de sese sparserunt. Quinimò præter hæc operam dabat quilibet, singularibus arte factis operibus & laternis suam exornare domum, in quibus erant insignia Epigrammata & sententia. III. Hic omnis generis decor eò magis exsplendescibat, quo tunc temporis tenebrosa & nivea nox erat, quâ incense candela, majore fulgore lucebant, & quilibet pro re natâ potis erat rhedâ & pedibus circumvagari, adeò letificam illuminationem lustratum & visum, ceu omnis generis hominum multitudo id frequens fecit. IV. In turribus Templorum resonabant Tympana, Tuba, Pandura & omnis generis altum sonantia instrumenta. V. Inter hæc non est intermissa, Christiano lætitiæ poculo, cordiali gratiarum actione ad DEUM pro cujuslibet statu & conditione, Regiæ Majestatis & Summæ Regiæ Domus prosperitatis & incolumitatis mentio & memoria. Quæ omnia artificiose & hieroglyphice verbi DEI (Cui sese in Consilio Upsalensi, sicut est traditum in Scriptura Sacra, Symbolis Oecumenicis, & invariata Augustana Confessione, omnes sanctè addixerunt) penetrantiam, lucem, efficaciam, Vigorem atque virtutem egregiè depinxerunt. Nam: I. Verbum DEI it fortiter, Dominus gloriæ tonat &c. Psal: 29: 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. II. Verbum DEI illuminat oculos non Corporis aut carnis, sed mentis & cordis. Psal: 19: 8, Psal: 119: 105. Prov: 6: 23, 2. Pet: 1: 19. III. Verbum DEI sibi invitatione homines ad sese allicit. Matth: 11: v. 28. &c. IV. Verbum DEI corda lætificat atque exhilarat. Psal: 19: 8. 9. 10. Psal: 94: 19. Psal: 119: 92. V. Verbum DEI cibatur & potatur animas nostras ad vitam æternam. Psal: 23. Esai: 65: 13. 14.*

*Solemnitas (b.) magnifica hujus festi jubilæi, continuabatur sequentibus à die Solis diebus Upsaliæ, Ita: ut singulis Diebus haberentur Orationes à quibusdam Professo-*

*fessoribus Latine, Græcè, Hebraicè, æquè ante ac post meridiam, quibus auscultandis adfuerunt: Sacra Regia Majestas, Princeps Hereditarius, Sereniss. Princeps Holsatiae Fredericus, Complures è Regio senatorio Ordines, Exoticorum Imperatorum Legati & Ministri, exceptâ innumerâ plebis multitudine. Hanc Solemnitatem demum Die Veneris 2. Martii, excepit Promotio Doctoralis, in quâ sequentes 15. longè Doctissimi Viri, S. S. Theologiae Doctores sunt creati, rempè: M. Haquimus Spegel/ Episcopus Lincopensis; Theolog. Licentiatus Carolus Caroli, Episcopus Arosiensis; M. Samuel Wirzenius, Episcopus Wexionensis; M. Christian Papke, Episcopus Londenensis; M. Henning Schütte/ Episcopus Calmariensis; M. Joachim Saleman/ antea superintendens, nunc verò Episcopus (eo tempore quo Revaliæ degeram, promotor meus ac fautor sincerè dilectus) Revaliensis; M. Erland Broman/ Superintendens Carlstadiensis; M. Matthias Steuchius, Superintendens Herwösandensis; M. Israël Kolmodinus, superintendens Gotlandensis; Theolog. Licent. Johan Fischer/ Generalis Superintendens, in Livonia; M. Georgius Wallinus, Regiæ Majestatis, supremus Concionator Aulicus; M. Matthias Jser/ supremi Templi Holmensis Pastor & Consistorii Præses; M. Julius Micrander, Theolog. Profess. Ubsal. M. Johan Beverus, Superintendens Rügensis; M. Johan Baudeman/ Superintendens Stralsundensis. Promotor erat Petrus Rudbeckius, probè designatus, Theologiae Doctor & Primarius Professor, ac Episcopus Scarenensis; facta autem est Promotio hoc modo: Primo est habita Concio, in Templo Cathedrali, hujusmodi actui conveniens, Præsentibus Regiæ Majestate, Serenissimo Principe Hereditario: Principe Holsatiae antea nominato, ut & compluribus Regni senatoribus, exoticis legatis & Ministris, sicut & ex omnibus stati-*

statibus ac omnibus frequens multitudo hunc actum celebravit. Finitâ Concione, Eleganti oratione *Doctor Olaus Swebilius, Archi-Episcopus & Academiae Pro-Cancellarius* (ut antea per sexennium *Calmariae* Præceptor optimus, ita nunc Pater & Evergeta exoptatissimus) initium actus Promotionis fecit. Postea peroravit exquisitè Ipse *Promotor*, finiensque suum sermonem, humilimâ rogatione factâ, ad *Regiam Majestatem* de venia & indultu sibi concedendi, hos præsentés, *Doctissimos Viros Doctores*, creandi. Postmodum in medium processit *Regie Majestatis senator, Regii Collegii Præses & Acad. Ubsal. Cancellarius, Comes Dn. Benedictus Orenstierna* / qui gratiosa & benigna responsione, nomine *Regie Majestatis*, indulsit. Promotori veniam, *Doctores* creandi. Postea in Proscenium processit quidam nuper ab exoticis redux *Magister*, qui proposuit quæstionem: *Utrum Catholici & Calviniani possint ad Augustanam confessionem amplectendam adduci?* Ad quod quæsitum *Episcopus Spegel* eruditè respondit, adeo ut etiam Præsentés à peregrina Religione *Ministri* hacce responsione libenter acquiescerent. Postquam *Dn. Promotor* singulis *Pileum Doctoris*, *amplexum amoris*, & *annulum honoris* exhibuisset, publiceque *Theologia Doctores* eos renunciaisset, finitus & clausus est actus, à *Doct. Micrandro*, gratiarum actione. quam post *Regia Majestas* omnium *comitatu aulico*, nuper *creatis Doctoribus*, nec non aliis ordinis excelsi, comitata in arcem processit, ubi quilibet pro ratione sui status & ordinis, regiis ferculis & dapibus est exceptus.

Iidem quoque ritus hic *Aboæ*, Procurantibus *Dominis Excellentissimo Toparcha* atque *Reverendissimo Episcopo*, observati fermè per totum, interque alia: *Theologia Doctor*

quoque est factus *Celeberrimus Professor Mathematicum*, per 22. Annos, & postea *Theolog. M. Johannes Flachsenius*, Promotore *Doct. Petro Laurbecchio*, *Prof. Primario*, & *Past. Aboënsi* Vigilantissimo, qui ambo, ut antea *Preceptores Fidelissimi*, ita nunc *Collegæ & Fratres in JESU Christo conjunctissimi*.

MUNIFICAM (c.) *festivitatem* satis superque declaraverunt *cusa Numismata*, tum *aurea*, quorum quodlibet *scutatis 50.* constabat, quibus munificentissimè dotati sunt *senatores Regii*, multique alii *Celebriores Optimatum Regni*: tum *argentea*, Horum quodvis eorum, *quatuor Thaleros Joahimicos* æquabat, iisdem vero *Civitatum collegia*, *Regni status*, quoad homines *Præstantiores atque societates*, sicut & mihi *subdito minimo*, eadem contigerit *clementia*, *sacra Regiæ Majestati*, liberalissimè placuit donare. Egregie alludit hoc *Numisma*, ad causam *Concilii Ubsaliensis* celebris convocationis; Nam cernitur ex una parte: *Navicula fluctibus maris procellosis undiqve cincta*, velumque usque ad *extremitatem mali contrahens*, hac inscriptione: JACTATUR SED TUTA TAMEN, יהוה: ab altera: IN FELICEM MEMORIAM CONCILII UBSALIENSIS, CUJUS DECRETUM, CENTESIMO AB HINC ANNO, PERSECUTIONI LITURGICÆ FINEM ATTULIT. M DC XCIII.

JUXTA hancce *pecuniam Religio* in *Dilecta nostra Patria*, in tribus potest considerari punctis atque momentis, nempè: (a.) *Institutionis*, (b.) *Destitutionis* & (c.) *Restitutionis*. (a.) *Ecclesiæ NAVICULAM Patria* feliciter est ingressa, dum è *Gentilismo*, cui antea fuit addicta 1. Cor: 12: 2. Ephes: 4: 17. 18. conversa sit ad *Christianismum* & *veram Evangelii Lucem*, 2. Pet: 1: 19. quam errores, successu tem-

temporis, *Pontificiorum*, obfuscabant, Apoc: 9: 2. 3. &c. donec, juxta reformationem Ecclesiæ à B. *Luthero* monstratam, veram puramque Religionem *Rex Sveciæ*, gloriosissimæ memoriæ, *Gustavus Primus*, è scoriis *Papisticis* repurgavit, inque *Sveciam jure testamentario*, salutariter introduxit. Quam ratam, fartam atque testam quoque conservavit primis Regiminis Annis, ejus Filius *Johannes Tertius*, *Rex Sveciæ*, Ideoque *ordinantiam Ecclesiasticam*, opera inprimis duorum *Ecclesiæ Luminarium*, *M. Laurentii Archi Episcopi Ubsaliensis* & *M. Olavi Pastoris Holmensis, fratrum Nericianorum*, aliorumque piissimorum *Ecclesiæ Præsulum ac Ministrorum* ex verbo DEI Concinnatam, à sese diligenter perlectam, auctamque, Anno 1572. prelo subijci mandavit.

( b. ) AT vero hoc pietatis & tranquillitatis libero statu *Ecclesiæ Svecicæ* non diu gavisæ est, nam Jesuiticis factionibus & suggestionibus, ut & *Conjugis* ( tam noxia & periculosa sunt conjugia hetherodoxa ) *Reginæ Catharinæ Jagellonicae, Regis Polonici Sigismundi Augusti, Filia* illecebris, ipse *Rex Johannes III.* à veritate Evangelicâ abreptus, *Librum LITURGISTICUM* ( à *λιτή* supplicatio, unde *Litania* & *εργον* opus, *λειτεργία*, *Sancta actio precandi* ) quem *Herbestus jesuita*, concionatur *Aulicus Reginæ, M. Fecken* secretarius *Regis, Laurentius Norvegus* alias *Klosterlasse* / alique *Jesuitæ*, svadentibus id ipsum *Antonio Possentino* Nuncio Apostolico, *Stanislao Hosio Cardinali*, *Warmiensi Episcopo* in *Borusia*, crebris suis ad Regem & Reginam literis, fucata pietatis specie tinctum, captiosis verbis conceptum, involucrisque *Papisticis* insidiosis complicatum, Concinnarunt, Mense junio 1574. in comitiis *Stokholtraensibus*, ordini Ecclesiastico

pro

proponi, atque ab eodem, quasi verbo DEI & puriori antiquitati consentaneum, approbari & in Sacris Ecclesiæ actionibus adhiberi atque usurpari serió commendavit. Quâ ex re ingens schismatum in Negotio Religionis chaos, multæ Dissentiones & certamina tam inter verbi Ministros, quam Auditores, magnæ vastationes in Ecclesiis, Scholis & collegiis, perniciosæ juventutis corruptiones, gravissimæ conscientiarum perturbationes, piorum confessorum tribulationes, carceres, exilia, periculosæ hypocrites & multorum apostasiæ, aliaque infinita incommoda, velut ex putidissimâ infernalis gurgitis sentina, per omnes Sveciæ Angulos, ingenti impetu postea profluxerunt. Quibus procellis jactabatur *navicula suecana* fermè per 18. Annos. ab Anno nempe 1574. quo Liturgia primum sit publicata, usque ad Annum 1592. quo mortuus est ipse Rex, interim mansit tuta, sub illuminatione & conservatione *Jehova*, Psal: 46. præcipuè dum ad felicem applicuit portum, quod factum, (c.) Per *Concilium Upsaliense*, quod *Persecutioni Liturgica finem attulit*. Nam ipse Princeps, postea *Rex Svecia Serenissimus CAROLUS IX*, quia magni, diuturno tempore, tumultus & animorum distractiones inter Regni incolas, ob Religionis perversam mutationem exstitissent, de sententiâ senatorum omnes Regni ordines ad *Generale & Liberum Concilium UBSALIAM* convocandos curavit, qui mensibus *Februario & Martio*, Anni 1593. Collatis inter sese pijs deliberationibus, unâ voce, mente & Calamo, tandem Concluserunt: *Liturgiam ex omnibus Regni angulis unâ cum quibusvis ceremonijs execrandum Papisimum redolentibus, penitus eliminandam, & porrò juxta orthodoxam Evangelij Doctrinam Sacris Prophetarum & Apostolorum Scriptis comprehensam,*



*ſam Symbola, Apoſtolicum, Nicenum & Athanaſianum, atque genuinam Confessionem Auguſtanam, utpote præcipuos Religionis Articulos, verbo DEI ad amuſſim conformes, συλλήθην completentem, in Eccleſiis Svecanis unanimiter acceptandam & fideliter deinceps ſervandam eſſe atque obſervandam. In quâ gratiâ, ex infinitâ DEI bonitate perſtitimus per integrum hocce ſeculum, & adhuc ſtamus, O! utinam in infinita ſecula. Meritò ergo gratulamur nobis & Patrie noſtræ dilectæ, in quâ vera viget Religio atque γνησίως Chriſtiana, quam ſar-tam tectam ſemper ſervet DEUS, conſervetque Regem noſtrum Clementiſſimum, ejus propugnatozem & protectorem fideliffimum! Eſai: 49: 23. 1. Tim: 2: 1. 2.*

Hocce Conſectarium ita expoſitum atque explicatum, obſervandum eſt contra varias ſectas, præcipuè verò falſos noſtros Fratres Calvinianos, maximè autem Pontificios, ut Verbi DEI, ita quoque ejusdem amantium, & Lutheri & Lutheranorum, periculofos ac moroſos oſores & roſores.

Πόρισμα. III.

*Non veremur nec erubescimus à Divo Luthero nominari Lutherani.*

I. Fluit hocce poriffima ex ſuperiori, & illud ipſum concludit, atque ita probatur:

I. *Doctrina à conformitate.* Eidem enim Doctrinæ, quam B. Lutherus, ex fermento papiffico aliorumque Hæreticorum, feliciter per Divinam gratiam repurgavit, ut antea viſum, ἀπεισπάτως adhæremus.

II. *Discretionis ex neceſſitate.* Hâcce nempè appellatione, nos, ab omnibus aliis, ſanam Evangelii, inque Verbo DEI firmatam, quoquo modo, reſpueñtibz aut

infestantibus, Doctrinam, discernimus. Idque juxta præceptum DEI, *præcipientis discerni vilia à pretiosis, falsa à veris.* Jerem: 15: 19. 1. Thes: 5: 21. *ut vitentur bacce, & eligantur illa.* Matth: 7: 17. Phil: 3: 2. Tit: 3: 10. 1. Joh: 4: 1. Ideoque ipse Apostolus Paulus nominat se *Pharisæum*, ut hoc nomine à cæteris *sectis Judeorum*, à quibus alienus erat, semetipsum segregaret. Act: 23: 6. Phil: 3: 5.

III. *Consuetudinis ab antiquitate.* Nam & in *Veteri & Novo Testamento*, appellati sunt illi ab illis, à quibus *nomen & Religionis professionem* sortiebantur. Nam vocat ipse DEUS *Christianos* Novi Testamenti, *Jacobitas, Israëlitas, & Christus vocat Nathanaëlem verum Israëlitam*, imò & Paulus filios *Abrabæ seu Abrahamitas*, ob *Doctrinæ ueriusque Testamenti* unanimem, quam & nos, laus DEO! unice sectamur, concordantiam. Esa: 44: 5. Joh: 1: 47. Gal: 3: 7. quo quoque nomine Vocatur ipsa Ecclesia *Apostolica*, quia *Apostolicam profitetur ac amplectitur Doctrinam, & super eam est edificata.* Eph: 2: 20. Sic antiquitus ab Hæreticis quoque nominabantur, eorum nomen & professionem sectantes: ut *Nicolaitæ à Nicolao.* Apoc: 6: 2. *Arriani, Nestoriani, Eutychiani, &c.* ab *Arrio, Nestorio, Eutychæ,* & cæteris.

IV. *Distinctionis è facilitate.* Nam distingvimus inter nomen *magisteriale & confessionale seu ministeriale*, inter *Dominum & servum, Magistrum & Ministrum.*

A Domino nostro *JESU Christo* verè sumus *Christiani*; Sed à *Luthero* tanquam *DEI electo organo & Ministro* nominamur, ob ante dictas causas, rectè *Lutherani.* sicut idipsum abundè probat olim *Rever. & Beat. Dn. noster Episcopus Doct. Job: Gezelius Senior*, in *Casibus Conscientien-*

scientiæ dum ita pag. 49. inquit; *Ob Evangelii Doctrinam, quam unicè amplectimur, Evangelici dici amamus, nec tamen erubescimus nominari Lutherani, quia sequimur Doctrinam per Lutherum seu divinum instrumentum in lucem adductam: Nomen enim Lutheranorum, quod ab efficiente minus principali, organicâ & ministeriali, acceperunt Ecclesia nostræ, nomini Christianorum nihil derogat, dum convenientia cum Ecclesiâ Verè Christianâ & γῤῥῖως Catholica in doctrina puritate, tanquam partis homogeneæ, cum toto, spectatur. Prosequimur igitur B: Lutherum eo præconio, quod dedit ei Celeberrimus Doct. Calovius Syst. Tom. 1. p. 17. hocce modo: E Recentioribus Theologis, qui à Scholasticorum quisquiliis & Pontificio fermento, Theologiam repurgarunt, præcellit in omni Theologia genere, palmamque præripit omnibus ὁ πᾶν B. Lutherus noster, sive genuinam scripturæ explicationem, sive fidei solidam declarationem, sive potentem Adversariorum confutationem, sive Energeticas populi exhortationes, sive variorum casuum judiciosas decisiones, respicias,*

2. Quod observandum contra Socinianos, Photinianos, Calvinianos, nomina discretionis improbant Religionis, dicendo: *Quid est Photinus? Quid Calvinus? Quid Lutherus? & ceteri? nisi servi Christi? Christus est Dominus noster, ab eo nominari gaudemus omnes. Abutendo præcipuè dicto 1. Cor: 1; 12. Verum Resp: improbat ibi Paulus denominationes schismaticas, quibus scinduntur, qui in fide consentiunt, ob externos quosdam respectus, nihil ad Religionem aut Religionis substantiam attinentes, quales affectabant in Ecclesia Corinthiaca, qui vel à Paulo, vel Apollo, vel Cepha, ob dona, auctoritatem & similes respectus, denominari gestiebant, in fide à se invicem non dissentientes, unde Schismaoriebatur inter eos, qui ejusdem erant fidei; approbat vero Diacriticas vel Discretivas, inq. scripturis*

*usitas*, ut antea fufius est probatum, quibus *Heterodoxi* ne-  
 cessario fequestrantur ab *orthodoxis*, hoc est: prohibet ipse  
*Apostolus* saltem *inutilem*, imò noxiam consentientium in fi-  
 de, per nomina *Sectas* invehentiã *scissionem*, quæ ab extrin-  
 secã Doctorum prærogativã dependet, ut si quis se vellet  
 appellare *Chemnitianum*, *Calovianum* &c. ab horum Docto-  
 rum donis, qui tamen in vera *Religione* sunt concordēs; non  
 autem *nominalem*, *utilem ac necessariam* dissentientium in  
 Doctrina fidei, per nomina ab Auctoribus *Heresiarcha-  
 rum* desumpta, Discretionem. 2. Tim: 1: 8. 1. Tim: 1: 20.  
 2. Tim: 4: 14. 15. Sed regerunt *Calviniani* verba *Pauli* ex eo-  
 dem accipite: *A quo appellamur, Ille est pro nobis crucifixus, & in*  
*ejus nomine sumus Baptizati*, imò prohibet *Lutherus* nos ab  
*ejus nomine appellandos esse, at nominamur Lutherani*, Er-  
 go *Lutherus pro nobis est crucifixus, in ejus nomine sumus*  
*baptizati & negligimus ejus interdictum*. Resp: Ex unã fi-  
 delia trinos hosce parietes dealbabimus, distingvendo  
 inter ipsam *Confessionem* & *Magisterium*; non agnoscimus  
*Lutherum*, ut nostrum *Magistrum* pro nobis crucifixum,  
 atque cujus mandato baptizati sumus, in nomine Sacro-  
 sanctæ Trinitatis, nec prohibet *Lutherus* sui nominis  
 commemorationem coram Ecclesia; sed ut verum  
 Christi crucifixi, Baptismatis, & Professoris DEI intrepidi,  
 Confessorem electum, DEO & ejus Ecclesiæ gra-  
 tum valdeque acceptum. Hoc est: Nos non facimus  
 neque tribuimus *Luthero* aliquod *Magisterium* in rebus  
 fidei, sed unicum *Magistrum* agnoscimus *JESUM CHRISTUM*,  
*pro nobis crucifixum*, gratiãque Baptismi nobis sua dona  
 per verbi præconium acquirentem. Neque ob dona *Lu-  
 theri* Heroica & singularia *Lutherani* appellamur, sed  
 Do-

Doctrinam ejus verè Christianam esse confitemur, & ab aliis falsò dictis Christianis nos segregamus. 2. Cor: 6: 14. 15.

ET TANTUM de Religionis, & *Essentiali*, ex quatuor Causis, tum *extraessentiali*, ex *tredecim affectionibus dependentibus*, nec non ejusdem Symbolis *Antiquioribus & Recentioribus*, dictum esto. Iam ad ejusdem *opposita*, Idque paucis Verbis, ob, in quavis *Disputatione*, hujus materiæ antea ampliolem, contra *varias sectas*, observationem, pergamus.

Thesis XXVI.

*Opposita Religionis sunt ἀθρησκεία, irreligiositas & falsa Religiones, tum extra, (a.) tum (b.) intra Ecclesiam.*

(a.) *Extra Ecclesiam est Paganismus, Judaismus & Turcismus.*

*Religioni veræ opponitur falsa, quæ vel falsos deos colit, & Messiam planè non agnoscit, nec Sacras Scripturas attendit, ut Ethnicismus seu Religio pagana; Vel verum DEUM quidem colere videtur, Sed non verè colit prout sese in verbo suo revelavit. Et licet hæ falsæ & abusivè sic dictæ Religiones aliquam Messie cognitionem inferant, maxime tamen errant, cum in applicatione, ut Judaicâ, quæ JESUM Nazarenum Messiam non agnoscit, & alium expectat; tum in Doctrinæ ejusdem blasphemâ perversione, ut Turcica & Mabometana, quæ Christum tanquam Prophetam veneratur, ipsi tamen præponit flagitiosum & sanguinarium suum Muhammedem, cum Titulo Prophetæ, ut ultimi ita summi.*

(b.) *Falsæ Religiones in Ecclesia sunt juxta B. Calovium, tum (a.) Hæreticorum, tum (b.) Atheorum. (a.) Hæreses aliæ sunt veteres, earumque, aliis omiſſis, est 1. Arianismus, qui quondam totum terrarum orbem penè occupavit,*  
impie

impie *Sacrosanctam Trinitatem* impugnans. Huic sese ad-  
 junxit 2. *Nestorianismus*, ceu propago quædam *Arianorum*,  
 partim *Divinitatem Christo* derogans, partim *Christi Personam*  
 dividens. 3. *Eutychismus*, confusionem naturarum in  
*Christo*, novo errore introducens. 4. *Macedonianismus*, po-  
 tissimum *Deitatem*, partim *Filij DEI*, partim *Spiritus San-  
 cti*, impugnans. *Hæresibus* hisce fuere opposita *concilia*  
*Oecumenica*, de quibus agit *Disp. 8. Nicenum*, in quo *Ari-  
 ani*, *Constantinopolitanum*, in quo *Macedoniani pneumatomachi*,  
*Ephestinum primum*, in quo *Nestoriani*, & *Chalcedonense*, in quo  
*Eutychiani* sunt *Condemnati*. 5. *Pelagianismus*, *viribus nature*  
*salutem adscribens*; *justitiam operum asserens*, *fidei justitiam la-  
 besactans*, *variosque alios errores fovens*. *Hæresin* autem hancce  
 strenuè præ aliis confutavit *B. Augustinus* damnataque est  
 ea, in *Concilio Carthaginensi*, Anno *Domini*, 420.

II. Aliæ quoque sunt *Hæreses novæ & renovatæ*. Earumq;  
 famosiores sunt sequentes: I. *Papismus* à *Romani Pontificis*  
 auctoritate dependens, ac viam salutis prorsus invertens.  
 Defecit autem *Romana Ecclesia*, à *veritate Apostolica* non ita-  
 tim, sed paulatim, non simul & semel, sed successivè, do-  
 nec tandem variarum *hæresium veterum præcipue Pela-  
 gianarum*, ut & errorum novorum ac traditionum hu-  
 manarum farrago in locum *veritatis Apostolica* succeffe-  
 rit, adeo ut nunc in omnibus penè *Articulis Papatu* a  
 verbo *DEI*, ut ex *Concilio Tridentino* atque eorum scri-  
 ptis notum est, dissideat. Opposuit sese *Papatui* potissi-  
 mum *B. Lutherus*, Anno 1517. & sequent. eundemque au-  
 spicatissimo successu divino munere debellavit, hocce E-  
 logio: *Pestis ero vivus, moriens ero mors tua Papa*. Præter  
 hujus *Megalandri scripta heroica*, quoque videri potest ul-  
 terius *B. Martini Chemnitii Examen* felix ac faustum *con-  
 ciliij*

*cilii Tridentini, papatu* oppositum, quod nunquam refutare potis fuerunt.

II. *Zwinglio Calvinianismus, qui Sacramentorum impugnatione & absoluti decreti predestinationis propugnatione, aliisque erroribus, infestat Ecclesiam. Zwinglius circa annum 1525. Calvinus vero 1549. errores suos disseminaverunt, quibus sese statim opposuit ipse Lutherus, nec eos in fraternitatem suam, sicut nec & nos, suscipere voluit.*

III. *Socinianismus, qui negata precipue S. S. Trinitate & satisfactione Christi, universum systema Religionis christiane pervertit. Quem etiam sequuntur hodierni Photiniani ex asse, ac velut preceptorem suum hujus heresis auctorem Socinum venerantur. Hic Faustus (potius infustus) Socinus, circa Annum christi 1560. errores Arianorum resuscitavit, quorum prima fundamenta jecerunt Ebion & Cerinthus, qui tempore Apostolorum negarunt Deitatem Christi, & ὁμοσίαν Filii cum Patre, nec non Regni filii DEI aeternam durationem, itemque Spiritus sancti Deitatem. Contra quos S. Johannes Evangelista scripsit suum Evangelium.*

IV. *Arminianismus, qui quadam cum Calvinianis, a quibus egressi sunt Arminiani, multa cum Socinianis communia habet, nec pauca novo modo interpolat in plerisque fidei Capitulis, scepticas de rebus sacris disputationes intrehens, ac necessitatem credendi plurimum Articulorum controversam reddens. Hæc secta à Jacobo Arminio prima cepit initia, sed ab aliis Remonstrantibus variis erroibus aucta fuit. Horum Errores, inter alios, quoque refutavit celeb. Doct. Hülsemann.*

V. *Anabaptismus, qui infantibus Baptismum denegans, ministerium docendi promiscue omnibus concedit, Magistratum & Judicia civilia labefacit, rerum distinctionem tollit, variasque ætatis cum heterodoxis opinionibus propugnat. Huic sese oppoluere Doct. Wigandus & Doct. Schlüsserburgius aliique,*

VI. *Wetgelianismus*, verbo ejusque ministerio spreto, raptus *Enthusiasticos*, jactitat, *Carnem Christi nostrae consubstantialem negat*, conversionem fidelium *substantialem fingit*, aliisque horrendis modis fidem pervertit. Huc pertinet quoque *Schwenckfeldianismus*, *Paracelsismus*, *Quæcherismus*, *fratres Rosæ Crucis*, & id genus alii *Spiritus Fanatici*, *somnia*, *visiones* & *raptus jactitantes*, ut ab unico DEI verbo Scripto abducant incautos. Quos inter alios, confutavit *Doct. Nicol. Hunnius*.

VII. Opponuntur & *Schismaticorum erroneæ opiniones verae Religioni*, quales tuere: *Antinomi*, *Synergista*, *Majorista*, *Flaciani*, *aliique Plures*, quibus annumerandi *moderni Novatores*, *vesteres errores non absque Schismate Ecclesiæ incurstantes*. Contra quos etiam *Scriptis B. Doct. Calovius*, aliique. *Qui plures sectas scire desiderat*, adeat *Syllabum alphabeticum Heresi: & Errorum*, B: *Doctoris Dieterici*, ad calcem operis *Catechetici*, affixum.

(b.) *Atheismus alius est inchoatus*, *alius consummatus*, *inchoatus est Samaritanismus*, qui est *mixtura quædam Religionum* nomen habet a *Samaria*, ubi *Gentes ibi traductæ colebant & DEOS suos & DEUM Israëlis*, 2. Reg: 17: 32. 33. cui affinis est *Syneretismus*, seu *Collusio in mendaciis*. Tit: 1: 12. *Religionum & Cultuum Confusio*. Act: 15: 1. 5. Gal: 4: 9. 10. c: 5: 4.

*Consummatus secundum*, quid est *Puccianismus*, quosvis homines in sua Religione salvendos statuens, auctore *Franc. Puccio*, quem *Franc. Junius* confutavit; *absolutè consummatus est*, *Epicureismus*, qui denique est ipsa *ἀσπυρία*, seu *irreligiositas formalis*, quæ *quis omnem Religionem Contemnit*, *abnegata DEI providentiâ ac justitiâ*, ut *impunè ac securè quidvis perpetret*. Ab *Epicuri sectâ* qui dicitur summum bonum in voluptate posuisse, omniaque *Cæli* adscripsisse. *Tales sunt illi, quorum mentio fit. Sap: 2: 6.*

1. Cor: 15: 32. Contra quos agit, Prov: 1: 22.

Syrac: 23: 10.

SOLI DEO GLORIA, NOBIS CONFUSIO FACIET!

Daniel: 9: v. 7.

FINIS.